Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Volumen Exercitiorum Oratoriorum, Ex Informatione Joannis Simonii M. Professoris Publici : In alma Rostochiensi Academia, a Iuvenibus Quibusdam Nobilissimis ornatißimis & doctißimis celebratorum ...

Rostochi[i]: Pedanus, 1618

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0001
DFG

F. 506. d.

Ec - 1080

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0002
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729703177/phys_0003

VII – 1023

V 1125

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0004
DFG

VOLUMEN
EXERCITIORUM
ORATORIORUM,
EX INFORMATIONE
JOANNIS SIMONII M.
PROFESSORIS PUBLICI
In alma Rostochiensi Academiâ,
à
JUVENIBUS QUIBUSDAM NOBILISSIMIS,
ornatissimis & doctissimis celebratorum.

Additus est duplex index, alter orationum, alter Rerum.



ROSTOCHI
Typis exscripsit JOACHIMUS PEDANUS,
Acad. Typog. sumtibus suis.
ANNO M DC XVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
LD 2522

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0006
DFG

Illustrissimo, Celsissimoq; Principi ac Domino,

DN.

ADOLPHO-FRIDERICO

Reverendissimo, Illustrissimo, Celsissimoq; Principi ac Domino,

DN.

JAN-ALBERTO

Episcopæ Ratzeburgensis Coadjutori,

Fratribus Germanis, Ducibus Megapolitanis, Principibus vetustæ gentis Henetæ, Comitibus Sverini, terrarum Rostochij & Stargardiæ Dominis, Dominis meis clementissimis:

VAndali ADOLPH-FRIDERICE orbis celsissime Princeps
Magneq; Ratzburgo, JAN-ALBERTE, addite Præsul:
Fraternæ ô animæ! Dominorum sede locati,
Ambo DUCES his in terris, quas cornigeri aurêo
Bucephali caput incinctum diademate spectat!
Accipite, Heroës, hunc qualemcunq; laborem,
Quo vultu, imperio vestro subjecta, benigno
Cuncta serenatis. vestris est natus in hortis,
Hic ubi Phœbeus docto ales carmine Varnum
Exhilarat, vestrâ, Illustrissimi, in urbe Rosarum:
Accipite, & mihi clementes defendite Momum,
Ac nostris placidum, precor, indulgete favorem!

Ex VV. Celsit. Academia,
quæ est Rostochij, a. d. 13. Novemb.
Anno 1618.

VV. CC.
Subjectissimus

Joannes Simonius M.

Lectori Benevolo S. D.

Joannes Simonius M.

ANNUS jam est vicesimus quintus, ex quo Illustrissimi ac Celsissimi Duces Megapolitani, principes Imperij Romani clarissimi, me inter eos esse clementissimè voluerunt, qui publico docendi munere in hac alma Celsitudinum ipsorum Academia funguntur. Cujus tanti temporis cùm fructum aliquem jam antea ediderim, heroica nostra Megapolitana, partim oratione soluta, partim metricis pedibus illigata: opuscula item nonnulla oratoria, nec non dissertationes quasdam politicas: tum verò hoc tempore visum fuit, ut hæc exercitia, in collegijs nostris Rhetoricis publicis, me vel duce vel comite, proximo inprimis quadriennio, à juvenibus nobilissimis & ornatissimis celebrata, publici juris fieri, permitterẽ. Quæ si favẽtiore vultu acceperis, Lector: quod ut fa-

facias, tuæ humanitatis est: calcar mihi addideris ad edenda etiam ea, quæ principum in repub. ac illustrium præstantissimorumque virorum memoriæ consecrata habeo. Non quidem his nostris supprimendis decederet aliquid luci vel hominum laudatissimorum vel ipsius mundi. sed tamen, cum à potentissima domo Megapolitana omnia ornamenta, quæ in mei ordinis hominem cadere possunt, regiâ clementia collata, his 25. annis acceperim: quovis ingratissimo deterior essem, si non submisso tanta beneficia & agnoscerem & prædicarem animo. id quod his & cæteris meis edendis, cum aliter non possim, propositum habeo. Atque hoc te probaturum, candide Lector, omninò confido. Tu benignè & hæc lege, & his fave: rectèque vale. Rostochio a. d 13. Novembris Anno 1618.

Exercitiorum Oratoriorum, quæ in hoc volumine continentur, INDEX:

I. Oratio.

Divitias esse bonum. Pag. 1.

II.

De liberalitate Regum erga doctos. Pag. 10.

III.

De Gratitudine. pag. 28.

IV.

Nihil cum Amaricino sui. pag. 39.

V.

In Avaritiam. pag. 63.

VI. En-

VI.
Encomion Eloquentiæ. pag. 79.
VII.
De Passione Dn. nostri Jesu Christi. pag. 105.
VIII.
De Studio concordiæ. pag. 122.
IX.
De prima amaritie & ultima literarum dulcedine. pag. 139.
X.
Deliberatio Rehabeami de levandis oneribus publicis, decem dissertatiunculis comprehensa. pag. 152.
XI.
In Superbiam. pag. 173
XII.
Encomion Temperantiæ. pag. 186.
XIII.
Encomion Veritatis. pag. 200.

XIV. De

XIV.
De dignitate & utilitate eloquentiæ. pag. 216.
XV.
Programma in orationem: Honoribus mutari mores. pag. 250.
XVI.
De bono peregrinationis. pag. 252.
XVII.
De Exactionibus. pag. 276.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0012
DFG

Oratio I.

Quod Divitiæ ſint Bonum.

Pronũciata eſt 23. Decembris Anno 1611. ab Henrico Schelen Roſtoch.

TOta mente, atq; omnibus artubus, Auditores, in dicendi principijs contremuiſſe, vir in arte dicendi princeps Cicero, de ſe ipſo ſcribit: nec dubitat affirmare, etiam eum, qui humilia ſubtiliter, magna graviter, mediocria moderatè dicere poteſt; tamen niſi timidè ad dicendum accedat, & in exordienda oratione perturbetur, nomen impudentiæ mereri. rectè profectò. intellexit ſolertiſſimè vir graviſſimus, imo comperit: provincia durâ, onere gravi premi eum, qui in hominum literatorum cætu ſermonem habere vel cogitur, vel ſibi neceſſitatem quandam ipſe impoſuit. Quid vero, Auditores, mihi adoleſcentulo, ingenio minus quam mediocri, eruditione perquam exigua, dicendi facultate nulla prædito, animi eſſe putandum eſt? Verum nullum mihi dubium eſt, quin, qua benevolentia & humanitate eos, qui ante me ex hoc loco verba fecerunt, audiviſtis, eadem & me audituri ſitis. tum & illud dictum Menandri me reficit: οὐκ ἐστι τόλμης ἐφόδιον μεῖζον βίου. *ſolatur deniq; ac confirmat me ad tractan-*

 dum

dum delectum argumentum. Non enim, Auditores, de reconditis & ab usu hominum remotis rebus aliquid afferam, sed de re tali sum dicturus, de qua cuivis ampla & copiosa perorandi materia esse posset. De DIVITIIS enim dicam, & quod bonum sint, hac dissertatiuncula mea evincere conabor. Illud modò, antequam ulterius provehar, à vobis magnoperè contendo, ut quando omne mihi perfugium in vestra singulari humanitate situm est, tenuitatem meam vestro favore sublevetis, quo mea Oratio his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, finem facilius assequatur.

Nemo, ut mea quidem fert opinio, est tam inamœnus, tam teter, tam ab humanitate aversus, ut id, quod ex bonitatis fonte profectum est, Bonum esse neget. Ille autem bonitatis fons, non nisi DEUS est: fons ille omnium bonorum, fons vitæ, fons omnium quæ ad vitam nostram necessariò requiruntur: quem fontem, qui non agnoscit, eum singularis impietatis & profligatæ audaciæ hominem dixerim. Ex hoc autem fonte profluunt divitiæ: ab hoc sunt omnia, quæ ad vitam hominum tuendam ornandamq; pertinent: pecunia, prædiorum multitudo, regionum possessiones, suppellectilium pecudum servorum copia. DEI hæc sunt opera & effectus: DEUM hæc ipsa autorem

torem, creatorem, & conservatorem habent: à DEO sunt hæc omnia, à DEO hæc promanant. Testatur id regius Propheta David, cum ad DEUM ita inquit: cuncta quæ in cœlo sunt, & in terra; sunt tua: tuum, Domine, regnum, & tu es super omnes principes: tuæ divitiæ, tua est gloria: in manu tua magnitudo & imperium omnium. Testatur id Oseas Vates, qui loco DEI exprobrans Ecclesiæ Israeliticæ saturitatem, hoc quoq; in sceleribus ipsius ponit, quod non agnoverit, quod DEUS ei dederat frumentum & mustum. Testatur id Apostolus Paulus, qui Timotheo filio suo confirmat; DEUM viventem dare nobis omnia abundè ad vivendum. Sed quid testimonijs divinis immoror? Ethnicos quoq; probè tenuisse hoc, quod dicimus, divitias esse bonum: obscurum non est, sed exploratum cognitumq;. Audite quæso Euripidem, at quem Euripidem? illum Euripidem, cujus singulos versus, singula testimonia M. Cicero indigitat. hunc ergo Euripidem quæso audite Auditores, sic enim ille inquit:

Οὔτι τέ χρήματα ἴδια κέκτηται βροτῶν,
Τὰ τῶν θεῶν δ' ἔχοντες ἐπιμελόμεθα.

Nil proprij quicquàm mortalis possidet ullus:
Sed quorum nos curam agimus, sunt cuncta Deorum.

Huic geminus est Græcorum Poetarum excellentissimus,

tißimus, humanioris omnis literaturæ parens Homerus: cum ita canit:

Καὶ θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε κρονίων:
Ζεὺς δ' αὐτὸς νεμεῖ ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώπισι
Magnificasq; effundit opes Saturnia proles:
Ipse etenim, cœli qui Jupiter æthera torquet,
Distribuit Plutum miseris mortalibus ægris.

Quare, cum divitiæ donum Dei sint, eas bonum quoque esse affirmamus. Est enim omne donum DEI *sine omni contradictione bonum. Nonne enim bene valere? nonne formosum esse, sunt dona* DEI? *nonne honor, gloria, amicitia, sunt dona Dei? quæ omnia tamen sunt bona. Quis autem tam dura fronte unquam fuit, qui negat Prudentiam esse donum* DEI? *cum ei pareant robur corporis, sensuum vigor & congruens facultatum animæ per naturam constitutio; hæc autem omnia à natura recipimus, & cum sanitate; hoc est, optima corporis constitutione connexionem habent. Quid de nobilitate, fama, bona prole, pulchritudine? nonne dona Dei? quid de facundia dicam? nonne donum Dei? certè hanc Horatius inter bona numeravit, & proximum ipsi à sapientia locum tribuit cum inquit:*

Quid voveas dulci nutricula majus alumno
Quàm sapere, & fari ut possit, quæ sentiat?

Sed cum superiora illa omnia dona DEI *sint:*

eadem

eadem & bona esse, necesse est. quicquid enim est, eo quod est, bonum est. quare & divitias bonum esse oportet. Quod inde quoq; patet, quod non una sit species bonorum. Aristoteles enim bonum asserit totidem dici modis, quot ens, hoc est, bonum dividi per omnes categorias, sicut ens: seu, ut clarius me explicem, omne ens esse bonum, & omne bonum esse ens, sed non unius generis, verum speciebus inter se, non secus atq; entia, divisum. Philosophi autem nonnulli Bonum creatum affirmarunt esse triplex: bonum honestum, utile, & suave. Etsi vero Socratem Cicero testatur solitum fuisse execrari eos, qui honestatem & utilitatem tanquam naturâ cohærentia opinione distraxissent: tamen res ipsa evincit & demonstrat, distinctionem hanc bonorum non esse repudiandam, sed omnino admittendam. Etenim bonum honestum est ipsa actio voluntatis in hominibus, congruens legi naturæ seu cum ipso Deo. bona vero utilia sunt omnes noticiæ sensuum & mentis, & omnes res & effectiones ordinatæ ad conservationem vitæ. bonum deniq; suave est, aut congruentia objecti cum nervis, aut est in voluntate lætitia, quæ oritur ab intellectu pulchritudinis. Rectè igitur divisionem hanc retinemus, eamq; ad conservandas in numero Bonorum divitias de-

fendimus. Fateor quidem, quod Stoici quoq; sæpe ingeminant, divitias neminem facere bonum: neq; enim divitijs hoc à Deo tributum est, ut sua vi possessorem bonum faciant: sed quod Zeno inde negare vult, divitias esse bonum; id tam puerile atq; ridiculum est, ut nihil magis esse possit. quasi verò nihil bonum sit, nisi quod eum qui possidet, honestum & meliorem faciat? abi hinc cum ista tua conclusione in magnam malam rem: qui naturam, qui res cæteras creatas, quæ non tàm honestatis, quàm utilitatis rationem secum afferunt, tantis probris laceras, ut quas res ipse Deus boni nomine in prima creatione insignire non reformidaverit, eas hoc titulo indignissimè prives, bonitatisq; vim eis omnem nequissimè subtrahas. Nos vero, Auditores, admiremur & prædicemus Dei Opt. Max. in genus humanum bonitatem, eamq; infinitam & stupendam: quod non solum semina virtutum menti humanæ indidit, sed magna etiam varietate creavit ea, quæ ad conservationem vitæ humanæ faciant. Neq; enim unius illa generis sunt, sed distincta. quædam enim ad cultum & victum corporis pertinent: quædam ad valetudinem vel retinendam vel reparandam: quædam sunt quasi instrumenta & ornamenta vitæ: quædam ordini creaturarum conservando inserviunt.

primi

primi generis sunt nutrimenta omnia: secundi sunt medicamenta: tertij sunt metalla: in quarto ordine sunt Sol, Luna, & reliquæ stellæ fixæ & errantes, & quatuor Elementa. O magnitudinem bonitatis divinæ! Cum ergo Bonum divitias asserimus; bonum utile illas esse contendimus, & quidem de eo genere utilium, quæ vel instrumenta, vel ornamenta sunt vitæ. Nec verò verbo tantum divitiæ sunt utiles: re autem vera infructuosæ: stultorum hoc est statuere. nos, si nos ipsos consuluerimus: quantum commoditatum divitiæ secum afferant, ipsi videbimus. nam ita natura comparatum est: ut homo ad sustentationem vitæ frumentis, oleribus, plantis, carne, & similibus cibis indigeat, quæ omnia pecunia parantur. unde & Horat: venustè inquit:

Nescis quid valeat nummus, quem præbeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius: adde
Quæis humana sibi doleat natura negatis.

Natura autem negavit homini tegumenta, negavit alia. ad eandem ergo vitæ nostræ sustentationem ista quoq; pertinent, quæ externum frigus & quasq; injurias à nobis propulsare possint: quod genus sunt vestes, quæ etiam ad cultum corporis faciunt; itemq; arma, non solum illa, quibus vitam corpusq; tuemur, sed etiam propellere possumus ea, quæ nocitura videantur.

dcantur. cumq; homines simus, multis morborum imbellicitatibus obnoxij: alijs quoq; vel externis vel internis medicamentis opus est. Quid dicam de Oeconomico statu? próh quantam suppellectilem iste requirit! apud Græcos vulgò dicitur: Patremfamilias oportere esse bonum κτητικὸν, φυλακτικὸν, κοσμητικὸν τῶν ὑπαρχόντων, καὶ χρηστικὸν. at hæc omnia sunt circa pecuniam & ex pecunia: hæc omnia in numerato habere potest is, qui dives est. Quod si jam relicto statu Oeconomico ad Ecclesiasticum, Auditores, transiremus: ingens exsurgeret mihi dicendi campus, quantum ad Ecclesiam ornandam possint divitiæ. sed me reprimo: ne forte in externo cultu Ecclesiam magis quam in interiore mundicie & ornatu collocare voluisse videar. illud, quod de scholis addo, eas nempe sine sumtibus magnis nec institui nec conservari posse: tàm est perspicuum, atq; est Sol, cum meridie lucet. Quare quis est, qui neget, divitiarum & pecuniæ ad res humanas vel servandas vel ornandas maximum esse usum? & quis eas neget esse Bonum? Constat hoc etiam inde: quod divitiæ, ut in scholis loquimur, sunt præeligenda bona. Est autem omnis præelectio, sive προαίρεσις rei bonæ, quam appetit homo tanquam sui perfectionem: cum & declinet omne id quod est noxium: id quod à naturâ non solum homini,

mini, sed etiam bestijs insitum est. Quare & divitias à quolibet tanquam bonum expeti, experientia quotidiana testatur. Quid? annon & boni divitias possedêre? quid enim Abraham? valdè dives fuit. quid Assuerus? imperabat ab India usq; Æthiopiam centum vigintiseptem provincijs. quid Jacob? eum terra peregrinationis pro multitudine gregum sustentare non poterat. quid Josephus Arimatheus? opibus claruit. ut taceam Jobum, Lothum, Salomonem, & alios id genus homines omnis generis bonis cumulatos.

Cum ergo divitiæ donum Dei sint: cum sint utiles ad omne vitæ genus: cum voluntate & judicio certo ad eas eligendas feramur: cum boni eas possederint: nullum dubium est, quin divitiæ sint bonum. Nos vero, Auditores, in id omni studio incumbamus, ut veras divitias nobis comparemus, quæ vel navi fracta nobiscum enatare: vel incendio cuncta consumente animo exportari possint. Divitiæ enim nullæ sunt magis certæ, quàm quæ animo possidentur; quæ sparsæ colliguntur: erogatæ revertuntur: publicatæ suscipiunt nobile incrementum: quas qui habent, soli sunt divites. soli enim possident res & fructuosas & sempiternas; solíq;, quod proprium est divitiarum, contenti sunt rebus suis: nihil appetunt, nihil sibi deesse sentiunt, nil requirunt. DIXI.

De Liberalitate Regum erga Doctos.

Pronũciata est 3. Febr. anno 1613. à Ioanne Ruenio Megapolitano.

SImonidem Poetam, Theocritus auctor est, duas arcas habuisse, ex quarum una deprom-serit, si quid ipse in alios beneficij conferret; in alteram verò reposuerit, quicquid doni loco ab alijs acciperet: & quidem illam sæpius fuisse exhaustam, ut sæpe eam replere necesse habuerit; hujus verò accessiones ita raras fuisse, ut ne quidem multorum annorum spatio opus habuerit, reponendi alicujus gratia eam aperire, atq; recludere. Similis fere est, Auditores, horum temporum ratio: par conditio. Pauci enim hisce temporibus reperiuntur, qui in literas & literatos aliquid conferant: cum tamen eorum, qui divitijs præ reliquis ornati sunt, hoc esset officium. Sunt, Deo gratia, quidam, qui studia humaniora, & illas, sine quibus vitæ humanæ societas nec coli, nec celebrari potest, disciplinas sua liberalitate & munificentia juvant: sed quam plurimi inveniuntur, qui cum idem possent facere, tamen negligunt. Ex quibus cum illi non solum debitâ laude non sint defraudandi, sed multò magis mactandi: in his verò danda opera sit, ut eos ad eandem laudem atq; adoream erigamus, atq; si fieri possit, incendamus: sumsi mihi

mihi materiam aliquam huic meo proposito, ut spero, aptam & accommodatam.

Dicam enim: Regum & principum in Republica virorum esse, ut studia linguarum & literarum liberaliter juvent & ornent. Rem gravem & arduam humeris meis à me ipso impositam sentio: cùm & maximè invidiæ telis hæc dictio sit proposita: & periculosum sit de illis scribere, qui possunt proscribere: multi deniq; judicent, non pertinere hæc ad nostrum ordinem, verum nos his dicendis extra cancellos nostros ruere. Sed cum ea dicturus sim, quæ ad laudem, quæ ad decus, quæ ad gloriam virorum in clarissima luce collocatorum, pertineant: spes me fovet pulcerrima, fore ut hujus audaciæ veniam facilè à bonis & candidis impetrem. id quod oro & rogo.

Deus ter Optimus Maximus, parens atq; conservator totius generis humani, studia literarum, sine quibus neq; profana, neq; sacra didicisse, quicquam profuerit, liberalitate Regum & Magnatum conservari præcipit; cum vult Reges & Principes nutricios Ecclesiarum esse: id quod quidem seriò in verbo suo mandavit his verbis: erunt, inquit, Reges nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ. Hæc est Dei imperantis illa vox, cui meritò omnes obedientiam debent principes, ut nutriant Ecclesias. Verum

enimverò, nisi linguæ & litteræ colantur, non posse Ecclesias nutriri & conservari, tam clarum est, atq; est Sol, cùm in altissimo gradu collocatus nullis nubium involucris tectus est. Nec enim per Ecclesiam intelligimus ædificia ex ligno aut lapidibus: sed hac voce amplectimur illam doctrinam, quæ in eo cœtu, qui Christum sequuntur, publicè sonat, publicèq; traditur. Hanc doctrinam sine literis non posse conservari; disertè affirmamus. Quis enim homines de doctrina Ecclesiæ informaret? quis erudiret? quæ fugienda, quæ facienda illis aperiret? quis salutis viam monstraret? si non prius rerum divinarum & cælestium ad salutem scitu necessariarum cognitionem habuerit? Vultis hujus rei auctoritatem, Auditores? Ipse Deus, ipse elogia sua & mysteria tribus præcipuè linguis, Hebræa, Græca, & Latina connotari, describi & propagari voluit. Annon enim utrumq; Testamentum, vetus quidem Hebræo, novum verè Græco sermone confectum est? Annon elogium mortis Salvatoris nostri Jesu Christi lingua Hebræa, Græca & Latina perscriptum, & supra caput Christi fuit affixum? quid autem elogio illo Christus in cruce pendens, coronam spineam capite gerens, expansis brachijs distentus, pedibus & manibus perforatus, significare aliud voluit, quàm ut ostendat

ostenderet, præconium de morte sua tribus illis linguis conservatum & per totum mundum propagatum iri?

Quis igitur inter homines tam barbarus esset, qui hæc studia, has literas, has linguas, negligendas, ac non multò magis, tanquam cophinos quosdam, quibus elogiorum Dei magnitudo continetur, conservandas affirmaret? His enim cophinis neglectis, linguisq; spretis, quot abominationes, quot idolomaniæ, quot corruptelæ, in Ecclesiam Jesu Christi invectæ sint, vel unica Papistarum colluvies satis superq; testatur. Nam cùm malà versa essent Biblia in Latinam linguam; ex impuris illis cisternis, haustum à papicolis venenum, vah quam latis vastisq; ampullis fuit populo Christiano propinatum? Promissionem primam de conterendo capite serpentis ad Mariam transtulerunt: quia in vulgata versione habetur, ipsa conteret caput serpentis, cùm tamen Hebræus articulus ad semen respiciat. Semen autem est Christus, teste Apostolo. Pari modo asini indocti invocationem sanctorum stabiliverunt, quia à Patriarcha Jacobo dictum est, invocetur nomen meum super istis pueris: cum tamen, quia adoptio eo loco facta erat, phrasis hebræa id significat, fore, ut pueri isti Ephraim & Manasses non nomine Patris Josephi, sed adoptantis Jacobi deinceps nominarentur & vo-

carentur: id quod adoptionum proprium esse, etiam ex jure civili constat. Sed quis omnes, vel saltem sub una Pontificia tyrannide ex phraseos ignoratione natos errores enumerare valeat?

Quare stat fixum, immotumq; hoc principium: cùm Deus Regibus & Principibus hoc officij imponat, ut sint nutricij Ecclesiarum: simul & hoc seriò injunctum esse ipsis, ut conservent studia linguarum, caq; ornent & juvent. Est enim omninò necesse, fieriq; aliter non potest quàm ut studia literarum, quæ universo generi humano prosunt, quæ in prosperis sunt ornamentum, in adversis refugium, conserventur, ab his, qui hominibus præsunt.

Sed quòd studia linguarum & literarum toti generi humano conducant, res ipsa loquitur. Nulla enim vitæ pars est, neq; privatis, neq; publicis, neq; forensibus, neq; domesticis in rebus, quæ fructu literarum & linguarum carere possit. Latinæ linguæ cognitionem Scholæ expetunt, curia desiderat, Legationes requirunt, instrumentorum consignatio, & historiarum notationes efflagitant. Græca verò lingua nobis omnem humanitatem impertivit: estq; tam utilis, ut, qui veram ac solidam doctrinam consequi sperant, hi sibi Græcæ linguæ cognitionem omninò necessariam esse putent. Nec enim verus Theologus

sine

sine cognitione Græcæ linguæ quis nominari potest: & Philosophia Græcis literis est mandata: & Historiæ Græco sermone sunt conscriptæ: ipsi Jureconsulti quoque Græca lingua carere minime possunt. quid multis?

Si libros sacros vis discere: discito Græcè.
Argumentari quisquis vis: discito Græcè.
Quisquis Rhetoricen vis discere: discito Græcè.
Scire Mathematicam quisquis vis: discito Græcè.
Artibus es medicis qui captus: discito Græcè;
Morbis nam cunctis sunt indita nomina Græca,
Artes ingenuæ Grajo sermone loquuntur.
Ad summum, doctis debentur singula Græcis.

Quid dicemus de Hebraica lingua, quâ inprimis Ecclesia carere nullo modo potest? Nam illa nobis primordia omnium, creationem mundi & hominum monstrat; lapsum primorum Parentum, eorundemq; per filium Dei restaurationem aperit; Deum ipsum patefacit. Quod quantum beneficium sit, id patet ex optimis quibusq; Philosophis, qui adeò pueriliter de mysterijs divinis philosophati sunt, ut nihil possit dari puerilius. Democritus finxit atomos: Aristoteles primum & ultimum hominem dari posse negat. Platonici Deum quidem creasse mundum statuunt: ex nihilo negant. Animam Homerus dixit esse cor: Alij vel harmoniam, vel numerum vel nomen inane vel cerebrum. De Deo autem quot sunt Ethnicorum

rum opiniones! partim monstrosæ, partim etiam blasphemæ? Tantam ignorantiam sola Hebræa lingua de oculis nostris depulit. Quis itaq; , quæso, tam agresti, tam rudi animo esset? qui studia linguæ Hebrææ abolenda, non colenda servandaq; censeret?

Jam de artibus ut aliquid addamus: priori loco mihi Grammatica, quæ cæterarum artium ac disciplinarum fenestra & janua est, quæ ad reliquas facultates & scientias omnes aditum patefacit, illa, inquam priori loco mihi tractanda videtur. Nam sine Grammaticæ perfecta cognitione ad sublimiora studia contendere, quid est aliud, quam Icarum & Phaëtontem imitari? Itaq; Julius Cæsar tanti hanc artem fecit, ut qui totius orbis Imperator futurus erat, imperio & legibus Grammaticæ se prius submittendum putarit. Pergo ad Astronomiam, de qua ut verè dicam, quod sentio, ita mecum statuo; si illa mortalibus non data fuisset, homines parum à brutis abfuturos fuisse, quibus nulla est temporis conditio. Si enim illa careremus, navigationes jacerent, sublata essent commercia: nemo omnium hominum tempora sationum; arationum & similium rerum, sine quibus ne vivere quidem possumus, scire, aut alijs præscribere: nemo cum alio contrahere & de solutione aut annuo censu convenire: nemo in Ecclesia

Dei

Dei statos sacrorum dies & festa habere posset. Geometriam nunc videamus, absq; qua si esset, ignotæ essent arcium, propugnaculorumq; & munimentorum rationes: horologiorum & automatum miracula nulli essent cognita: nemo locorum intervalla, regionum fines, agrorum limites observare: nemo deniq; astrorum positus, mutuos siderum aspectus, distantias à terra & à se invicem notare posset. Quòd si verò Medicinâ destitueremur, multis morbis prostrati plurimi occiderent. Nam sæpè ubera medicanda sunt; sæpè somnus arte revocandus. ulcera, omnibus infantibus communia —, non matureſcerent, sed alios morbos secum adferrent, nisi ars opem ferret: ipsæ matres edito fœtu infinitis morbis obnoxiæ sunt, quæ sine ope medica servari non possunt. Porrò si Jurisprudentiâ privati essemus: quanta incommoda sequerentur? Tyranni & barbaries inter homines regnarent: omnes literæ in maximo contemtu essent, & etiam Ecclesiæ magis negligerentur. Deniq; si Theologia, quæ tota eò tendit, & ad hunc scopum directa est, ut incomprehensibilem illam & infinitam bonitatem & misericordiam Dei nos doceat cognoscere: si Theologia, inquam, sublata esset; quantis miseriis essemus expositi? quàm infinitis incommodis subjecti? quantis malis quasi consecrati?

Hi ergo linguarum fructus, hæc literarum beneficia tanta sunt, ut nec satis dignè cogitari, nec satis magnificè prædicari possint. Nec enim hæc studia literarum, Auditores, unius sunt loci: in ipsam Americam penetrarunt. nec sunt unius temporis: ab initio mundi usq; in hoc præsens tempus beneficia literarum durant. nec sunt unius personæ propria: sed totius generis humani communia.

Quare & pij principes & Reges nullis sumtibus parcunt, sed totis viribus & omni animi impetu in id incumbunt, ut literæ inter homines conserventur. Deus enim hoc conservandarum linguarum & scientiarum officium illis imposuit. Idemq; curam & tutelam Reipublicæ principibus ita demandavit, ut omnes ejus partes conservent. Sunt autem non minima Reipub: pars ij, qui seriò, fideliterq; & docent & discunt linguas, easq; artes honestas, quæ, quod ingenuum deceant, liberales vulgò dicuntur. Adde, quod Magistratus hoc est proprium, esse Patrem Patriæ. Quare sicut Pater omnia ad utilitatem liberorum confert: ita & Principes, qui Patres Patriæ vocantur, meritò facere debent, ut ad utilitatem subditorum omnia conferant. nihil autem majus est, nihil præclarius, quod in subditos conferre possunt Principes, quàm si literas & linguas alant.

His

His enim omnia continentur, quæ ad bene beatèq; vivendum pertinent: ab his pendet rerum salus: sine his neq; rectè imperari, neq; rectè obediri potest: hæ adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur: hæ emolliunt mores, nec sinunt esse feros. Quod enim oculi sunt in corpore, hoc literæ & artes sunt in Republica. ut oculi omnia membra corporis: sic literæ & artes lustrant omnes Reipublicæ partes. Quocirca ut à Principibus literæ & linguæ conserventur, ipsa salus publica, nomenq; Principum postulat, & suo quodammodo jure flagitat. Tyrannorum autem est, destruere scholas; abolere literas, extinguere scientias. Videte enim, Auditores, illos carnifices, qui Athenas olim subverterunt. aspicite Julianum apostatam, qui filios Christianorum in scholas Rhetoricas admitti prohibuit. considerate Turcos, qui in eximijs illis, quas tenent, partibus, Academias immani atrocitate oppresserunt. Quam enim, putatis, esse immanitatis illius caussam aliam; quam quod noverant, non posse crudelitates & literas, artium amorem & Martis furorem, virtutis studium & libertatis odium unà cohabitare? Sed hæc tyrannica Tyrannis relinquantur: pij Principes id

operam dant, id contendunt, id unicè cogitant; hæc literarum lumina esse accendenda, non extinguenda: hos fontes esse conservandos, non destruendos: hos oculos esse curandos & tuendos, non effodiendos.

Itaq; omnibus tempestatibus fuerunt viri in Republica potentes, qui literas coluerunt atq; aluerunt. Vultis ut incipiam à primo omnium nostrum Parente Adamo, in quo suum initium agnoscunt omnes Reges? Is profectò literas & artes liberales impensè docuit & fovit. Vultis deinde Reges Ægyptios? & hi certè, cum florerent, doctrinæ & literarum ab Abrahamo excitata studia semper conservarunt, & in ijs ornandis operam suam collocarunt. Quid dicam de Regibus Palæstinis, qui primò omnium in urbe Dabiritide Academiam instituerunt, eamq;, teste Annio in Xenophontem, liberalissimè foverunt? Prætereo alios per Græciam viros illustres, qui literatos homines magnis sumtibus aluerunt, quod sanè innumerabilibus exemplis manifestum facerem, si tempus & occasio pateretur. Sed ad Germaniam propero: in qua primum collegium Carolus Magnus anno septingentesimo septuagesimo sexto excitavit. Hunc secuti sunt & alij permulti Principes & Reges: inter quos mihi laudandus occurrit Dux & Elector Saxoniæ Mauricius, qui non solum duas celebres & laudabiles

dabiles Academias, ut accepimus, Lipsensem, & Witebergensem conservavit & proventu auxit: sed etiam tres scholas, Misnensem, Grimmensem & Portensem in suo Principatu aperuit, in quibus & discipuli ijq; permulti, & ipsi Præceptores perpetuò publicis sumtibus aluntur. Neq; non recordari possum Illustrissimorum Principum Megapolensium erga literatos & doctos homines, pietatis & beneficentiæ; qua ducti hanc inclutam Academiam primò exsuscitarunt: id quod factum anno post natum Salvatorem millesimo quadringentesimo decimonono: & postea in servitutem redactam in libertatem vindicarunt immensis sumtibus in eam rem collatis; & nunc quoq; clementissimè conservant. Quapropter hos Principes viros comitantur præmia infinita & nunquam moritura. Quæras quænam illa sint? Laus, inquam, gloria, nomen nunquam desiturum. Nam quid Carolum Magnum immortalem fecit? regium in Doctos & bonos studium. quid Sigismundum IV. Imperatorem Augustum perpetuâ circumfulgere gloria fecit? Cæsareum in doctos & bonos studium. quid Illustrissimos Principes Joannem & Albertum Duces Megapolitanos, Parentes hujus Academiæ: quid reliquos ejusdem conservatores, cum alios, tum imprimis Divum Joannem Albertum,

bertum, nostrorum illustrissimorum Principum Adolphi Friderici, & Joannis Alberti Fratrum, qui hodie his oris imperant, dominorum nostrorum clementissimorum, Avum? quid Divum Uldaricum Joannis Alberti Fratrem, Duces Megapolenses, æternitati consecravit? regium in literas & literatos studium. O rem admirandam! jacent in tenebris tam multi etiam boni Principes, quorum nomina, non nisi illis, qui genealogias recitant, cognita sunt. Vestrum, Dive Joannes Alberte, Dive Uldarice, Fratres, Duces Megapolenses, vestrum, vestrum, inquam, nomen nunquam intermorietur: sed dum mundi machina erit, dum literæ erunt, dum viri doctrinâ præstantes erunt, vigebit & vivet.

Sed nunc tempus est, Auditores, ut, quibus technis hîc soleant Regum & Principum animos fascinare nonnulli ab omni humanitate alieni, quasq; calumnias in nos jacere soleant, cognoscamus. Ajunt, Numam Pompilium nullis ejusmodi literis, in quibus nunc Academiæ se efferunt, fuisse imbutum: & tamen suopte ingenio temperatũ virtutibus animum habuisse: instructum autem fuisse una Sabinorum disciplina: atq; hinc apparere asserunt, sola natura duce, absq; literarum secretis, existere posse ingenia excelsa, justitiæ vim tenacissimè tenentia. Hæc est

eorum

eorum qui ſtudijs malè cupiunt, una oratio. Sed miſeri illi & inſulſi ignorant, quid dicant. Non negamus naturam ad virtutem multum poſſe; ſed ſolam illam ad eam rem ſufficere, non concedimus: tantum poſſe contendimus, atq; ager, licet optimus, poteſt ad producendas ſegetes ſine agricola & ſine diligenti cultura. Ad naturam enim oportet accedat doctrina & exercitatio. quæ quidem ita perſpicua ſunt; ut, ſi qui non videant, hi talpis ſint cæciores.

Verum ut his quodammodo ignoſcendum videtur; ſic illi execrandi ſunt, qui Principibus & Regibus Vatinianum erga Academias odium inſuſurrant, easq; vel non conſervandas vel etiam propterea radicitùs exſtirpandas eſſe ajunt, quòd non tantùm magnis ſumtibus conſtent, ſed quod præcipuè in maritimis (ut oratoris cujusdam ultramarini, referente Chytræo, tribunitia vox habet) emporijs ſeminarium ſint illæ Scholæ, & fomentum perpetuum multarum diſſenſionum, ſeditionum & exitialis diſcordiæ, nec fieri poßit, quin & jurisdictio & diſciplina labefactetur, variaq; utriq; parti incommoda inferantur. Hæc ſunt immania illa, Auditores, quæ in noſtrum ordinem excogitantur, portenta: hæc ſunt illa, quibus ab hoſtibus noſtris ferimur, arma: hæ ſunt illæ, quibus illi jugulum noſtrum petunt, ſicæ.

Aſt

Ast benè se res habet. Est enim hoc maledicentiæ proprium, convicium facere bonis. Academias autem boni caussa coli, nos diximus, & res ipsa testatur. Sed sunt, qui ex rerum præclararum ruina sibi laudem quærant. nec enim serpens fit Draco, nisi devoret serpentem, ut proverbium habet. Herostratus, cùm inclarescere vellet, templum Dianæ Ephesi incendebat: sic hodierno die multi splendorem nominis ex Academiarum clade sibi quærunt. Non potest quidem negari, passim ferè nullam esse in locis paulò frequentioribus Academiam, ubi non disputationes fuerint aut sint de jurisdictione. Verum, ubi, quæso, terrarum de meo & tuo non vigent lites? aut ubi cum perfectis semper vivitur hominibus? an verò hoc insolens est, ut de re dubia etiam optimi viri inter se judicio contendant? ut quisq; bonam se fovere caussam existimet? quæ tamen contentiuncula, cum vox justitiæ auditur, facilimæ sunt sopitu. At incommoda mihi narras, quæ civibus ex Academijs evenire soleant? Jam verò Cerberum mallem metueres, quàm isthæc tam inconsideratè proferres. Quod civitati honorificum & utile est, id tu eidem probro & detrimento esse nugaris: ubi est mens? ubi acumen tuum?

Non

Non inciſa notis, (*ut Horat. habet*) marmora publicis,
Per quæ ſpiritus & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus: non celeres fugæ,
Rejectæq; retrorſum Hannibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus redijt, clarius indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides: neq;
Si chartæ ſileant, quòd benefeceris,
Mercedem tuleris. quid foret Iliæ,
Mavortisq; puer, ſi taciturnitas
Obſtaret meritis invida Romuli?

Eodem planè modò nos dicimus; quæ foret hujus vel illius loci tanta celebritas, niſi alicujus Academiæ eſſet hoſpitium? Quare ſcholæ Regiæ ſunt civitatibus & Rebuſpublicis honorificæ. Utiles autem eaſdem eſſe, ſi quis non fateatur, eum belluam aut viperam dixerim. Scholæ enim regiæ literas & bonos mores docent; ad humanitatem inſtituunt; & ſuos toto die commonent, ut honeſtè & piè vivant, neminem lædant, ſuum cuiq; tribuant; ut mediocritatem ament: Magiſtratui pareant; ſalutem Reipublicæ omnibus commodis præponant. cumq; alij, qui bono Academiæ deſtituuntur, ad illa loca magnis ſumtibus proficiſci cogantur: tum illi, quibus forum & mercatus bonarum literarum præ foribus eſt, vel nullis vel certè exiguis impenſis poſſunt ea omnia, quæ ad bene beatèq; vivendum pertinent, in ipſo Patriæ

suæ sinu consequi. Vox ergo, Auditores, est bovis, non hominis, Academias vituperantium, ijsq; id affricantium, quod ingenijs turbulentis, & ex Academiarum vulneribus perturbationeq; vel salutem vel malitiosam voluptatem, vel laudem aliquam immodestiæ ac petulantiæ singularem quærentibus, expensum ferendum est. Quas quidem voces immanes tantò vehementius Principes & magistratus abominabuntur, quantò melius sciunt, & præclarum esse, ut vocant, regale, Academiam in suo patrocinio habere: & illos; qui Academiarum hostes sunt plerumq; tragicè perijsse: nomen autem eorum posteritati exosum, inviſumq; esse, dum manent literæ; manebunt autem seculis innumerabilibus, rumpantur ut ilia Pyrenéis omnibus. Sed quid in his commemorandis multus sum? quis me ventus tam procul à litore tulit? sermonis vela contraho, portumq; repeto.

Cum itaq; Artes liberales & studia humaniora, Auditores, ad benè beatèq; vivendum sint necessaria; cùm ipsi Deo sint grata: cum absq; illis nec Ecclesia, nec Politia nec Oeconomia florere & durare possit: cùm remotis illis neq; mercatura, neq; agricultura neq; navigationes, sine quibus vitæ curjum tenere non possumus, exerceri possint: nullum est dubium, Auditores, quin Regibus & Principibus in republica viris, totis viribus & omni animi impetu, incumbendum

bendum & omnibus sumtibus efficiendum sit, ut Academiæ & Scholæ, in quibus artes & studia illa docentur & proponuntur, vigeant & conserventur.

Te Fili Dei Jesu Christe, Redemptor & Servator totius humani generis, Verbum æterni Patris, cujus ore Deus ad Patres nostros locutus est & voluntatem ac mentem suam erga nos patefecit, Te oro, rogo & obsecro, ut hæc artium & linguarum studia atq; Academias in hac delira mundi senecta contra furores Sathanæ clementer conservare & propagare non dedigneris. Te toto pectore & ardentibus votis obtestor, ut Celsissimos & illustrissimos nostros Principes, Dominum Adolphum Fridericum & Dominum Joannem Albertum, Fratres, Duces Megapolitanos, Principes vetustæ gentis Henetæ, Comites Sverini, terrarum Rostochij & Stargardiæ Dynastas, Dominos nostros clementissimos, ab omni tam animæ, quàm corporis periculo quàm clementissime, benignissimèq; tuearis. Age benignissime Christe, expansis Illustrissimorum horum Principum nostrorū alis conserva inter nos synceram & veram doctrinam: conserva nobis pacem cum studijs humanioribus: conserva hanc nostram Academiam, eamq; ab omni malevolentia & invidia libera, propter amaram mortem tuam, resurrectionem lætissimam & ascensionem gloriosissimam. DIXI.

De Gratitudine.

ronũciata
ſt 20. Febr.
nno 1613.
ab
lenrico
chelen-
Roſtoch.

QUæ ſingula hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere conſueverunt, Auditores, ea mihi hodierno die ſeſe objiciunt univerſa. Sed non parum me recreat audientium dignitas, tum ipſa orationis materia, cum dicendi conditio, tum vero inprimis animorum veſtrorum erga me æquitas atq; humanitas. Præclarum enim ipſi ſtatuitis & polcrum, ſæpè in his noſtris congreſſibus, qui honeſtate conſociati ſunt, de virtutum decore dicere. Nec vero parum utilitatis hæc ratio adferre ſolet, cum & de hominis in hac vita felicitate agat: & quonam pacto animi ſint cohibendæ perturbationes oſtendat; & virtutum & vitiorum vim naturamq; explicet; & conſtanter honeſteq; vivendi modum præſcribat, & demiq; languentes excitet, currenteſq; inflammet. Eſt equidem ſummæ prudentiæ opus, poſſe virtutis genuinos colores oratione depingere, ut ejus utilitate & ſuavitate homines alliciantur: à qua quantum ego abſim, ipſe mihi ſum teſtis: attamen decet & nos noſtramq; ætatem, ut omnem à teneris (ut græci dicunt) unguiculis, curam atq; operam, ad virtutum

tum contemplationem studiumq; conferamus, in hoc quoq; vehementer omni nervorum contentione elaboremus, ut boni officiorum ratiocinatores simus. Quæ omnia cum ita se habeant: constitui & ego, cum ordo denuo ad me devolutus sit: de illa virtute, quam Gratitudinem appellant, agere, ejusq; Encomium instituere. Vestri muneris est, Auditores, quorum æquitas & benevolentia hoc loco persæpè spectata est, ut me, dum in hac statione versor, in quam me non aliqua animi ambitio, aut auræ popularis fumus, sed Cl. virorum judicium deduxit, leni ac patienti animo, ut alios soletis, audiatis. Est ergo, Auditores, Gratitudo virtus complectens veritatem & Justitiam: Veritatem, quia Deus vult nos agnoscere & fateri, unde beneficia accepta sint: Justitiam, vero, quia obligat nos ad mutuam benevolentiam, & ad alia certa officia: estq; non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid enim est Pietas, nisi voluntas grata in parentes? & qui sunt boni cives, qui bello, qui domi, qui de patria bene merentes? nisi qui patriæ beneficia meminerunt? qui verò sunt sancti, qui religionem colentes? nisi qui meritam Deo immortali gratiam, justis honoribus memori mente persolvunt? jam quæ potest jucunditas vitæ, sublatis amitijs? quæ porro amicitia

esse potest inter ingratos? Atq; ne alia id genus dicendo consectemur, quis nostrum est, Auditores, liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri atq; doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse alitus atq; doctus est cum grata recordatione in mente versetur? Quid? quod & Christus ipse nobis in Samaritano reverso, & pro valetudinis restitutione, gratias agente; tum etiam, in Matthæo; itemq; in Zachæo eam commendat virtutem, quæ agnoscit se ab alio accepisse beneficium: hisq; exemplis nos ad referendam gratiam incitare vult ac cohortari? quod ipse quidem adeò seriò agit, ut inimicis etiam nostris nos obstringat, & mandet ijs quoq;, à quibus nihil boni acceperimus, nec sperare possimus, fontes nostros beneficentiæ patefacere: id quod & Apostolus Paulus testatur: ubi inquit: benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. Et mox! veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes. Neq; verò tantum Deus nobis hanc virtutem eo, quo diximus, pacto commendavit: ipsis etiam belluis & ratione carentibus animalibus ipse quendam referendæ gratiæ sensum insevit, ut Ciconiæ, quæ non tantum ijs apud quos nidulatur quotannis ἐπινίκιον solvit, ovum, pullum, calamum; sed etiam parentes senecta confectos

ctos vicißim alit & volandi impotentes humeris gestat. de qua pietate meminit Aristoph. in avibus (ubi inquit.)

Ἀλλ' ἐστιν ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισιν νόμος
Παλαιὸς, ἐν τοῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν,
Ἐπὴν ὁ πατὴρ ὁ πέλαργος ἐκπετησίμους
Πάντας ποιήσῃ τοὺς πελαργιδεῖς τρέφων,
Δεῖ τοὺς νεοντοὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

Quam pietatem etiam veteres observasse, Suidas refert: Veteres, inquit, in summo regum sceptro Ciconiam pingebant, in imo Hippopotamum, ut monerent pietatem à regibus colendam & evehendam; opprimendam impietatem, & ingratitudinem. Admirandus quoq; est Canum erga hominem amor: idq; ex historia T. Sabini videre est. Cum enim ex causa Neronis, Germanici filij, in hunc, quem diximus, T. Sabinũ & servitia ejus animadverteretur, canis ejus à carcere abigi nunquam potuit, eoq; postea ad scalas Gemonias deducto, in gementium morem latrando semper Domino astitit, mirantibusq; hominibus, panem qui oblatus erat, non manducans, ori Domini admovebat, qui posteaquam in Tyberim projectus fuit, in amnem secutus canis Dominum, ut poterat ex aqua caput ejus elevabat; quem vivere adhuc arbitrabatur. Est quidem, Auditores, hæc bestiæ in Dominum suum fides admiranda; sed quis non obstupescat

scat legens, quæ Divus Ambrosius in Hexamero scribit? canem quendam Domini sui corpus, noctu à milite in Antiochia occisi, semper custodivisse, juxta ut poterat gementem: ad quem spectandum, quia res mira videbatur, cum postridie multi convenissent, atq; in eis is esset, qui eam cædem patrarat, quia ignotum se cæde noctu peracta arbitrabatur, à cane dentibus comprehensum, cum insuper latratu urgeretur, & ipse præ animi conscientia plurimum perturbaretur, suspicionem perpetratæ cædis fecisse. itaq; captum homicidam à Magistratu, confessione criminis extorta, mulctatum esse. Quid dicam de Androdo? qui cum antea inter feras versatus leoni laboranti opem tulisset, postea in circo maximo Romæ ab eodem Leone fuit, non sine miraculo, servatus. Quid de Cærano Pario, qui à Delphinis è naufragio dicitur servatus, quos ipse prius redemtos à piscatoribus liberos dimiserat? quid de Elephanto, qui pro nutritore suo amico depugnat? quid de Pindi morte, quam ultus scribitur Draco, quem ipse aluerat liberaliter? Nec verò tantum verbis & exemplis Deus Ter. Opt. Max. hoc tantum & tam præclarum & insigne decus mandavit præcepitq; : verum ipse etiam facto & re nobis quoq; id ipsum commendat. Vultis testimonia? En vobis unum illud instar omnium. An-

non

non enim mundus Dei hostis est? Est, ut ipsa res docet, tantus, ut capitalior esse vix possit, cum & filium Dei unigenitum cruci affixerit, nec dum desinat Deum blasphemare. & tamen misericors Deus vocem Evangelij sui usq; ad novissimum diem in mundo prædicari vult: & benignus est in bonos & malos. O vim auctoritatis divinæ in commendanda grati animi memoria admirandam planeq; stupendam! quis eam nullo loco numeraret? quis eam levissimo saltu transvolaret? quis eam aspernaretur? quis nisi insigniter turpis negligeret? Ciconia parentes annis obsitos nutrit: nos homunculi Dei exemplo invitati, nostris præmia educationis negaremq? Leo homini homo est: nos homini leones erimus? Delphinus naufragum servat. nos hominem in luto hæsitantem pro derelicto habebimus? Draco punitor est cædis, in suum dominum admissæ: nos tam erimus omnis humanitatis obliti, ut quos auxilio juvare debebamus, eos lædamus, atq; violemus? Quid? Deus, Deus, inquam, ipse filium suum Dominum nostrum Jesum Christum voluit pro nobis fieri victimam. Deus largitur nobis Spiritum Sanctum Deus remittit nobis peccata, Deus liberavit nos à potestate Diaboli, & à morte æterna, datq; nobis vitam æternam: hæc Deus nobis confert, & præstat: nos vero

homunculi vitam eripiamus ijs, qui omnibus bonis nos cumulaverunt? O inenarrabile vinculum gratitudinis in ipso Deo? quis te non jure miretur? quis non in cœlum usq; extollat? Quis autem unquam tam barbarus fuit, ut justitiam vituperaret? quis tam ab humanitate aversus, ut veritatem in vitio poneret? & quis gratitudinem prædicatione dignam inficiaretur? cujus partes sunt veritas: quæ mente, ore, corde, sentit ac profitetur, unde acceperit beneficium: & justitia, quæ diligit benefactorem, & agnoscit se ad ἀντίδοσιν obligatam esse & servat æqualitatem. Quare gratitudinem præstantissimam esse virtutem necesse est. Sed & ipsa quoq; origo decus hujus virtutis nobis satis superq; commendat. Est enim ut aliarum rerum bonarum omnium, sic gratitudinis quoq; primus effector Spiritus Sanctus. Hic suam lucem in mentibus accendit, ut mandatum Dei cogitent, jubetq; coli veritatem & Justitiam. Idemq; regit & gubernat voluntatem, ut verbo Dei obtemperet, præcipiatq; cordi, linguæ & externis membris, ut benefactorem suum diligant, celebrent, & officijs colant. Quæ omnia cum æternis præconijs sint mactanda: gratitudinem quoq; perpetuis laudibus ornandam esse, nemo inficias ibit. Itaq; & omnibus temporibus laudatissimi quique inter homines gratitudinem coluerunt, eamque

opere

opere ipso præstiterunt ijs, à quibus beneficia acceperant. Quid enim Israelitæ, nonne erga Gedeonem grati fuerunt? cum enim de manu Madianitarum filios Israel liberasset Gedeon, dixerunt ad eum omnes viri Israel: dominare nostri tu & filius tuus, & filius filij tui: quia liberasti nos de manu Madian. Quid David? nonne se erga Jonathanem gratum præbuit? cum eo in acie occiso filio ipsius Mephibosetb omnia Saulis regis bona assignaret, eumq; Regiæ mensæ adhiberet? Nec minora gratæ mentis officia & munera Prophetæ Danieli exhibuit Nabochodonosor rex Babyloniorum. Divus autem Apostolus, proh! quanto amore, quantisq; officijs omnes benè de se meritos prosequutus est? Possem item ex gentilitate adducta exempla hic narrare permulta: sed optimorum quædam sunt introducenda. Ægyptios prodit Diodorus Siculus, erga benè meritos præcipuè gratos esse, quod magnum vitæ subsidium opinentur gratiæ retributionem. itaq; nec hominib. solum, sed brutis quoq; animalibus gratiam eos pro beneficijs acceptis retulisse legimus. De Persis scribit Xenophon, si quem intellexissent gratiam non referre, quum posset, eos in ipsum severè animadvertisse, quod ingratos homines inprimis nulla Dei cura, nulla parentum, patriæ, amicorum adfici

arbitrabantur. Ageſilaus quoq; non tantùm injuſtum eſſe judicabat, non referre gratias: ſed hoc etiam, ſi is, qui plus poſſet, non majores gratias referret: id quod & Heſiodus probat: ubi ait,,

Αὐτῷ καὶ μέτρῳ, καὶ λῷϊον.

Eſt enim ut hoc addam, eſt, inquam, gratitudinis, plura quàm collata nobis ſunt rependere: idq; ipſum monebant veteres, qui unam Gratiarum averſam, cæteras ſe non aſpicientes fingebant & pingebant. ut enim beneficij dati oblivisci oportet, accepti meminiſſe: ita plus reddendum, quam in nos collocatum ſit. Itaq; Macedones actionem dederunt adverſus ingratos: de qua re celebris hiſtoria extat apud Senecam de milite, cujus fronti Philippus Macedo hæc verba HOSPES INGRATUS, inuri juſſit. & Athenienſes nullum admittebant ingratum ad Rempubl. exiſtimabant enim, nec ſacra pro urbe ab eo ritè, nec aliud quicquam fieri poſſe καλῶς ἢ δικαίως. Græci autem templa gratiarum in mediis urbibus locabant: quo publicè teſtatum facerent, nihil DEO magis placere, nihil majori eſſe ornamento civitatibus, quàm ſi homines huic virtuti ſtudeant. Quis igitur hanc virtutem gloria atq; prædicatione dignam negaret? cum etiam manifeſtum ſit, eam immenſas utilitates ſuo ambitu complexam eſſe. Eſt enim nullum officium (quod Cic. I. officiorum quoq; ait) retribuendæ gratiæ magis

magis necessarium. Inest enim huic virtuti officiorum, qua ferè una societas hominum continetur, communicatio: quæ fit mutua benevolentia, benignitate, ac beneficentia. id quod exempla testantur. Gratianus Cæsar Ausonium Gallum præceptorem consulem fecit, & multis alijs beneficijs liberalissimè affecit. Philippus Macedonum Rex captivum, à quo liberè & amicè admonitus fuerat, liberavit. Græcia Hippocratis discipulis, qui plurimis peste laborantibus opitulati fuerant, eosdem quos & Herculi, honores decrevit. Alfonsus Arragoniæ rex, in mare prolapsus è navicula, beneficio remigis servatus est: huic meriti gratia quotannis, dum viveret, duodecim uncias pendendas ex ærario statuit. Insignis quoq; fuit Isocratis erga præceptorem Theramenem pietas & gratitudo. cum enim Theramenes à triginta Tyrannis comprehenderetur, & ad aram in curia confugisset: metu attonitis cæteris universis, solus Isocrates surrexit, ei patrocinaturus. quem Theramenes collaudato ejus beneficio verba facere vetuit: testatus, privata sibi calamitate id fore acerbius, si cui amicorum sua causa periculum crearetur. M. Antoninus præceptoris sui effigiem sculptam in templo consecrasse dicitur, ut perpetuum gratitudinis suæ monumentum extaret. Verum quis omnia enumeraret exempla; quibus testatum est, gratitudinem esse quandam offi-

ciorum communicationem? qua ipsa quidem vitam humanam conservari, & conjungi ita verum est, ut nihil verius esse possit. Hæc enim, hæc est illa ipsa res, quæ beneficos excitat. eademq; maximo est ornamento possessoribus suis. quemadmodum enim ingratitudo fontem beneficentiæ exiccat & obstruit, ita χάρις χάριν ἐστιν ἡ τίκτους ἀεὶ: utq; pœna à domo ingrati non recedet: ita nec à domo grati unquam recedet bonum Deiq; benedictio. Quid enim perdidit Judæos? ingratitudo. quid nostra tempora affligit? ingratitudo. quid tandem mundum evertet? ingratitudo. Quod si ingratitudinis ea vis est ad incommodandum: quantam in gratitudine putabimus esse efficaciam ad conservandum? Quare, cum tanta sit in memoria grati animi dignitas, tanta honestas, tanta amplitudo, tanta utilitas: meritò gratitudinem laudandam, & omni prædicatione celebrandam asserimus.

Tu Christe, fili Dei, miserere nostri, qui pro maximis tuis in nos beneficijs adeò ingrati sumus, ut nec mens hanc cladem satis cogitare, nec lingua eloqui possit. Tu nobis instilla lucis tuæ radios, quibus pectora nostra collustrata te ament, te metuant, tibi grata dicant, & faciant. DIXI.

Nihil

Nihil cum Amaricino ſui.

PHiloſophiam mederi animis, ſolicitudines detrahere, à cupiditatibus liberare & timores pellere, empirica, Auditores, ſunt veterum elogia. Quo ſanè nobiliſſimo Philoſophiæ uſu, quanquam nullo non tempore adverſus iniquos malè volorum inſultus maximè opus fuit, an unquam tamen magis quàm hodie, dubito an jure quis dubitet. Quotus enim quisq; veſtrum eſt, qui non, factâ vel perfunctoria noſtrorum temporum cum ſuperioribus contentione, prono aſſenſu atq; ambobus, quod dicitur, pedibus mecum in hanc deſcendat ſententiam: ſi qua mundi ætas fuit, vitijs fœcunda; ſi quod ſeculum flagitijs infame: certè hoc, quod nunc degitur ævi, præterlapſos inde à primis mundi incunabulis uſq; annos vitiorum in luxuria multis omninò paraſangis poſt ſe relinquit omnes. Annon enim inaudita jam & nefanda ſcelera agmine quaſi facto catervatim regnant, ac quoſcunq; vitæ ordines ceu cataclyſmus inundârunt? atheiſmus, hypocriſis, epicureiſmus, invidia, calumnia, ſophiſtica, & quis fando memoret? Nimirum hîc probè muniendus eſt animus incorruptus & recti amans, ne talibus portentis deter-

Pronũciat eſt 5. Mar Anno 16 à Magno Kannengieſſero, Anclamenſe Pomerano.

deterritus à regia via deflectat. Quod dum agimus nos, etsi à prava mundi colluvie videmur, sannis probrisq; infestamur: adeò tamen nostra nobis militia deserenda non est, ut eò acriùs rem urgeamus, pluris facientes sanctissima ordinationis divinæ oracula, quibus docendi discendiq; labor nobis injungitur; quàm vana & profana vel rerum ludicrarum vel manifestæ impietatis crepitacula, quibus nos mundus à recto tramite abducere satagit. Sed cum multa sint à Philosophis disputata, quæ non minimum valent ad animi instructionem; præ cæteris mihi scitis illis ac rotundis veterum dictis, Adagia quæ vocant, maximum ad eam rem videtur inesse momentum. E quorum infinita multitudine mihi hoc tempore tractandum selegi illud, cujus A. Gellius libri lucubrationum suarum 20. c. ult. meminit: vetus, inquiens, proverbium est: NIHIL CUM AMARICINO SUI. Id quâ originis, quâ veritatis ratione dicatur, dum ego dispicio; vos amabo Auditores facite, ne vestro mihi favore & attentione defuisse videamini.

In vestibulo autem, ut eò minùs à præfixo scopo aberremus, in vocabuli etymon inquirendum nobis est. nam qui nescit quid nominis, quid rei sit scire nequit, communi tritum sermone verbum est. Vox itaq;

itaq; Amaricinum seu Amaracinum (utraq; enim habetur lectio) est ab Amaracus, nomine herbæ, quã alij Persam, alij Sampsuchum, alij Majoranum vocitant: quarum appellationum omnium & singularum Αἰνοιαν & rationem qui desiderat, petat ex Plinio & Dioscoride. Nos tamen, ne omninò nihil dixisse videamur, illam verbo uno atq; altero tangemus, quæ instituto nostro maximè inservit. De qua in comment. ad lib. I. Æneid. Virgil. Servius refert: Amaracum Cynaræ Regis Cypri fuisse Unguentarium, qui optimi plenum unguenti alabastrum, quem ferebat, casu fortè lapsus cum fregisset, effusione ejus odorem excitavit, quem supra nullus. unde factum, ut non ipse tantùm Amaracus, dolore contabescens, Deorum commiseratione in ejusdem nominis herbam transformaretur, verum etiam quælibet præstantioris fragrantiæ unguenta amaricina dicerentur. A quibus cum Sus abhorreat, factus hinc est locus proverbio: NIHIL CUM AMARICINO SUI. Nequaquam verò opinandum nobis est; Veterum sapientiam vel hîc vel alibi in primo externoq; dicti sensu acquievisse: sed ita potiùs statuendum est, proverbiorum cognitionem amplissimum frequentissimumq; olim ad mores in omni vita describendos & regendos usum habuisse; cujus rei non parum videtur

 argu-

argumenti esse, quòd multi magni nominis autores integra de ijs volumina contexêrunt. Sic hac nostra parœmiâ, quisquis fuerit ejus autor, significare voluit, multis pinguioris ingenij hominibus vel optima sordescere & displicere, non aliter atq; amaricinum unguentum malè olet sui, fœtoribus sèse oblectanti bestiæ.

Sed fortè παραδοξον vobis narrare videor. Quis enim credat unquam tàm perversâ mente quempiam esse posse, ut res bonas negligat ac contemnat, fœtidas & rancidas in precio ac delicijs habeat? Ita est, ut, quæ dixi, prima fronte appareant absurditate sua non carere. Verùm experientia quotidiana, rerum illa omnium vulgò dicta magistra, an ea cum veritate commercium habeant, παραδοξια haud obstante, sat loquitur. Cui vos eò minùs suffragia vestra dare renuetis, quòd & res ipsa causis ac rationibus suis non destituatur. Quænam autem illæ? permultæ sanè, Auditores, eæq; non leves: quas omnes cum ακριβεία quadam hic recensere & exacta lance pensitare, neq; ingenij neq; instituti fert ratio mei. Quocirca leviter transibo, & unam atq; alteram tantummodò perstringam. Perpendite quæso stulticiam multorum hominum & plus quàm asininam stoliditatem; nî spes me fallit, magnam partem cessabitis mirari. Videas

deas enim quosdam tàm stupidæ & bardæ indolis, ut verum nec intelligant, nec seriò investigent, sed absq; judicio falsis temerè applaudant, & nihilominus polchrè sibi sapere videantur: quo ipso nil turpius, nil stultius esse, ait Cicero. Hi itaq; si, suum juxta judicium, oletum quandoq; roseto præferunt, quid novi hoc habet? Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu, vulgatum dictum est. Quod ut verè de vasis testaceis dicitur: ita non minùs rectè quàm eleganter ad alias etiam res, & vel ad animum ingeniumq; humanum accommodari potest, cum quo similiter comparatum esse animadvertas. Dum enim multi naturaliter sibi insitas aviti reatus sordes adeò non expurgant, ut in dies etiam magis magisq; incrustent; fit, ut quicquid ijs vel tandem boni offeratur, cum nausea repudient, & sibimet ipsi illius bonitatem & præstantiam turpissimum in fœtorem convertant. nam syncerum est nisi vas, quodcunq; infundis, acescit. Quo sensu Apostolus ille Tarsensis Tit. I. v. 15. de impijs scriptum reliquit: Omnia munda mundis; coinquitatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed consurcata ipsorum mens & conscientia. Accedit huc magna hominum malitia, inq; ea corrigenda supina ignavia & oscitantia. Postquàm enim inde usq; ab utero materno cor humanum

manum extrema occupavit malitia, quæ extirpari nequit: omni ope & studio in id incumbendum erat, ut ejus luxuries, quantum quidem fieri posset, incisa retunderetur, ne altiores subinde ageret radices. Sed idipsum à plerisq; adeò non curatur, ut non solùm sibi ipsis ab hac peste non caveant, verùm suis etiam suæq; fidei commissis perversâ partim indulgentia, partim pessimis pessimæ vitæ exemplis latam ad flagitia fenestram aperiant, illosq; tantùm non porrecta manu ad nequitiæ scholam deducant. Sicuti enim sus mater porcellos maturè educit ad stercora: ita impij sat tempestivè ad improbitatem condocefaciunt filios. Hinc contingit, ut exempla in mores abeant; mores consuetudinem attrahant; consuetudo increbrescens naturam imitetur; natura ne furca quidem expelli sè sustineat. Hujus ergò farinæ hominibus quid boni placere? quid eorum oculis gratum & amabile? quid auribus suave & delectabile? quid animo jucundum acceptumq; è rerum verè bonarum censu exhiberi posset? cùm penitus corrupti sint, & ad Diaboli τὸ πονηρὸν illius ingenium propendeant; cujus partes sectantur, à quo etiam fatigantur & impelluntur. Etenim hoc omninò persuasum habeamus, inter omnes omnium malorum, in quibus mundus jam consenuit, causas familiam ducere furorem Diaboli,

boli, quo æstuat, non antè quiescens frigidam suffundere mortalibus, quàm malorum hinc inde à se sparsa semina largam in messem succrescant: bonæ contrà res negligantur, pessundentur. Quæ omnia acriori qui considerat obtutu, fatebitur haud præter rationem dici, non posse non fieri, quin malè feriatæ illi & benè magnæ hominum turbæ optima sordeant. Verùm post hasce generaliores alia superest hujus perversitatis causa, & ea quidem occulta, quippe satis evidenter adhuc intellecta à nemine; quam Græci ἀντιπάθειαν vocant, cujus vestigia deprehenduntur in universa propè rerum natura: cujus exemplis contemplandis nos etiam aliquantulum indulgebimus. Quis nescit homines quosdam quàm tenacissimo amoris glutine quasi compactos ad invicem cohærere? quamvis neuter in altero videat vel virtutum simulachra, vel officiorum merita, quibus ad tantam benevolentiam incendatur. Contrà alios videas mutuis flagrare odijs, immortalesq; alere simultates, etiamsi inimicitiarum illarum causa pateat nulla. De suo in Volusium occulto & imis insidente medullis odio Catullus sic scribit: Non amo te Volusi, nec possũ dicere quare; hoc tantùm possũ dicere, Non amo te. Ita neminem vestrum fugere autumo, quòd multi à certis quibusdam animalibus, cibis alijsvè re-

bus abhorrent: dum alij felium, alij murium, araneorum alij, alij ranarum, alij aliarum rerum attactum, conspectum aut præsentiam omninò ferre nequeunt; id quod certis sæpenumerò indicijs manifestò comprobant. Idem in caſei, butyri & similium esculentorum esu ac usu quoq; contingere videmus. Pellustra irrationalium animantium multitudinem, & admirandam disquisitione facta deprehendes dissidiorum varietatem. Elephantus murem odit, & ea re pabulum quoq;, in quo murem aut ejus excrementa conspexit, aversatur. Delphino cum muræna, crocodilo cum ichneumone capitale intercedit odium. Quid dicam de lupis & ovibus, tanta dissensionis acrimonia mutuò disjunctis, ut post utriusq; animalis mortem ejus reliquiæ non exiguæ adhuc conspiciantur. Hinc pediculosa fieri dicitur pellis ovina propter morsum lupi. fides lupinæ & ovillæ in instrumentis musicis perpetuò dissidere perhibentur, neq; unquam concordare: lupinæ etiam pelles ovinas absumere seu vitiare feruntur: atq; tympana lupino obducta corio disrumpere alia, quæ ovillo obducta sunt, nudo saltem sonitu. Inter simiam animal versutissimum & leonem, in tantum ab omni dolo alienum, quantum robore valet, insignis item ἀνηπάφεια: quæ eò usq; se extendit, ut morbo laborans leo non nisi carnibus

nibus simiarum curetur. Similiter inter araneum & serpentem magna est; inter polypum autem & locustam pisces tanta, ut, si ambo eodem in reti hæreant capti, locusta præ metu polypi, si adesse eum senserit, emoriatur. Nec leve est dissidium inter ciconias & vespertiliones, cujus tanta vis est, ut illarum ova solo horum contactu sterilescant; unde ciconiæ platani folia in nidos deportare solent, ne ovis à vespertilionibus, itidem platanum reformidantibus, sit periculum. Leo bestia robustissima exhorrescit ad cantum galli, cujus conspectu propè exanimari scribitur basiliscus: unde qui in Africa peregrinantur, gallos secum ferre consuevere, quòd ea regio basiliscis tàm innumeris quàm horrendis abundet. Et id genus exempla per quàm multa sunt, quæ si vellem conquirere & recensere, nec tempus nec vox sufficeret. Taceo jam illa, quæ in rebus omni sensu orbis sese offerunt. nam nota est præclarissima illa antipathetica affectio inter adamanta & hircinum sanguinem; nec ignota est illa inter magnetem & allium. Scitus quippe ut adamas hirci sanguine emolliatur, & ut ferrum negligat illitus allio magnes. Quid dicendum erit de istis, quæ in sylvis ac hortis vigent? Anne quercus & olea ἀντιπαθῶς discordant? ita certè, ut si altera alterius ramis inseratur, aut juxta eam saltem

in

in eadem scrobe ponatur, emoriatur utraq;. Vitis ut ulmum maximoperè ambit & omnia fermè, quæ potest, claviculis suis comprehendere solet: ita unam præ cæteris refugit brassicam, inq; diversam ab ea partem se avertit; quæ contrarietas in expressis utrinq; succis etiam durat: quia brassicæ succus vino adversari & ebrietati resistere dicitur. Ipsa rursus brassica origano opposita exaresci. Et, ut ad institutum me revocem; eundem in modum amaricinum peculiari quadam proprietate suillo generi inimicum est & veneni instar, siquidem Lucretio credimus, cujus hi sunt versus: Deniq; amaricinum fugitat Sus & timet omne unguentũ, nam setigeris subus acre venenum est. Cui suffragantur multi alij inter Physiographos, qui prodiderunt, nõ posse suillum genus in Arabia vivere, quòd ea terra odoramẽtorum sit feraciſsima; porci autem fœtidis magè sordidisq; rebus delectentur. Hæc autem si tàm frequenter in cuncta propemodum universitate occurrit repugnantia: quid obstat, quò minùs ei in hoc quoq;, quod tractamus, argumento aliquid tribuamus? nequaquam verò tantum, quod rem ipsam à culpa & reprehensionis nota vindicare valeat. Quamvis enim omnia hæc, quæ commemoravi, ἀντιπαθῆ documenta ita sese habeant, ut aut nullo aut difficilimo cum

labore

labore mutari queant, quin suo etiam modo naturalia dicantur: propterea tamen naturæ per omnia convenire, haud equidem affirmarim. Per se enim quæq; res in suo genere bona est creata, & ad communem in vita usum destinata, ideoq; vera magis utendi prudentia & dextro amore, quam præposteró odio aut indigna nauseâ à quivis excipienda. Quapropter, qui inter homines præcipuè, qui appetitum ratione & judicio regere debent, hoc affectuum errore tracti eò prorumpunt, ut animi quoq; ingenijq; bona reprobent, vituperandi potiùs quam excusandi sunt, & perversæ stoliditatis arguendi. Etenim qui prudentes sunt, qui puram possident animam, qui boni sunt, qui legitimè utuntur donis naturæ, eamq; ducem sequuntur; eos, quonam pacto mihi persuadebis, animum posse inducere, ut rebus bonis neglectis contrarijs delectentur? Qui verò aut mentis ἀφροσύνῃ laborant, aut propria animi malitia atq; obscœnitate sunt infecti, aut prava impiorum cõsuetudine dementati, aut circæis stygij incantatoris artibus fascinati: ecquis mirabitur, Auditores, his suavissimum virtutis atq; honestatis thymiama teterrimum esse fœtorem sævamq; Mephitim? Quemadmodum asinus nulla musica, nullis fidibus, harmoniam quamvis jucundissimam reddentibus, afficitur, adeò ut locum pro-

verbijs dederit: Asinus ad lyram, Asinus ad tibiam, in ineptos stipites & caudices dici solitis: aut quemadmodum ipsi etiam porci tubarum clangorem quidem audiunt, verùm tantum abest, ut eo ad pugnam animentur, ut potiùs fugiant, & in latebras cœno & fœtore squalidas sese proripiant: ita invenias non paucos tàm crasso judicio & omnis salis inopes homunciones, ut ea, quæ benè, rectè & egregiè dicuntur vel aguntur, audiant, videant, palpent, neq; tamen animadvertant aut intelligant, nedum admirentur aut quicquam ijs moveantur. Graculum novimus avem esse ineptæ molestæq; garrulitatis, obstreperamq; adeò, ut à tædiosa vocis loquacitate nomen ipsi inditum putetur, autore Fabio; & quidem haud ἀπόγως. Graculum quippe nullis demulceas fidibus, nullo cantu, ita, ut garritu misso auscultet & aures canenti præbeat; quin potiùs eum audias jugiter iterato gutturis stridore plures invitare & accersere graculos, quò mutuo garritu strepitus fiat auctior atq; odiosus magis. Sic agreste & incultũ vivit hominum genus, quod bonarum rerum studia & doctrinam non ridere duntaxat & contemnere, verùm ijs etiam, qui dexterioris genij ac ingenij sunt, seq; honestatis, & literarum amori consecrarunt, insulsè obstrepere, quin & effrenem suam malitiam alijs affri-

affricare volupe sibi habeat. Verumenimverò scarabæorum hoc genus mihi videtur induisse naturam. Isti enim in stercoribus atq; excrementis, caprarum, præsertim & equorum, nascuntur: in stercoribus vivunt: vescuntur stercoribus: ea identidem provolvunt & revolvunt cum quadam quasi oblectatione: in stercoribus educant pullos, toti deniq; ijsdem inhabitant. Quid autem homines illi, quos scarabæorum repræsentare gentem dixi, aliud agunt? Nihil aliud, Auditores: excrementa enim mundi, excrementa Diaboli sunt: in excrementis ac stercoribus voluptates & delicias suas quærunt: in res frivolas & inutiles, vanas & evanidas omnem vitam, omnem industriam abijciunt, suosq; ad idem studium assuefaciunt, nec ullo bonarum rerum desiderio tanguntur, verentes ne in receptione illarum damni quid contrahant, perinde ut scarabæi rosarum super ipsos dispersarũ infirmantur ac extinguuntur odore. Ex quo patet, perquàm verissimè dici: NIHIL CUM AMARICINO SUI: idq; non in porcos, animalia bruta duntaxat, sed in eos etiam, qui sub externa & informi hominis forma brutam habent animam, bellè admodum convenire. Exempla si rei lucem afferre censentur: neq; hæc destituunt assertionem nostram. Ea verò quæ hic proferentur, ad duas revocabo classes:

ses: quarum una ecclesiasticam, altera scholasticam concernet vitam. In illa igitur en vobis exemplum, quo gravius, quo insignius nullum, & ea re maximè detestandum. De quo ipsum agite audiamus Apostolum, qui ita literis prodidit: Deo inquit ὠδία & bona fragrantia Christi sumus, & in his qui pereunt, & in his qui salvi fiunt: his quidem odor vitæ ad vitam, illis verò odor mortis ad mortem. De verbi nimirum Ministris, de Apostolis, de semetipso loquitur; imò de Evangelio, de ipso Christo. Quæ omnia an bona sint, quis ibit inficias? ejus sanè bonitatis ac præstantiæ sunt, ut qui id neget, is in religionem, in divinum ordinem, in beatitudinem æternam, in Deum O. M. nefandè & sacrilegè injurius sit. Nihilo tamen minùs fit, ut, dum verbi Præcones Evangelij divulgatione, vitæ sanctimonia, ardenti ad Deum precatione, patientia in adversis, & alijs id genus exercitijs ad τὸ καθῆκον & τὸ πρέπον Ministerij spectantibus, gloriam Dei in omni loco promovent, multi præfractæ cervicis homines quàm qui minimè his ipsis afficiantur. Licet enim singula hæc jam commemorata coram Deo & Angelis sint quasi quoddam precioſissimi thuris incensum, omnes etiam pij & divino consilio obsequentes illis ceu suaviſsimo unguentorum odoramine capiantur, attrahantur:

incre-

incredula tamen, reproba & salutis suæ prodiga caterva, bestiarum, & obscœnorum instar suum bonos Ecclesiæ odores fastidit, delectatur autem mendacio & omnis improbitatis pedore, Christi regnum vesano conatu atq; exitialibus oppugnans machinis. Ipsimet vos judicate, annon inter gentes à Philosophis? an non in ipso Dei peculio à Pharisæis id factitatum sit? ut jam non dicam de tyrannide Regum & Imperatorum, qui hac in re nullis alijs quicquam concesserunt. Historiarum sanè monumenta abundè testantur, quàm sæpè contra veram doctrinam insurgentes impetum in ejus propagatores fecerint! Ast inquias fortè: Hæc olim. Quasi verò non hodiè etiam sat gnaviter istud actitetur. A quibus verò? A superstite adhuc illa & hinc inde dispersa Recutitorum turba: à crudelissima illa Bellonæ Musolmannicæ addicta gente: ab omnibus, quotquot damnatas quondam hæreses postliminio quasi ab orco in lucem revocant, easq; partim vi, partim astu proseminare moliuntur. Hi quinam sint in suum reijcio forum. Et quis nescit Novatores nuper ortos? quis ignorat leves istos non levium quorundam antiquitùs damnatæ levitatis errorum incrustatores? hos scil. qui venefica illius Dominæ divinis in mysterijs agnoscunt, alijsquè obtrudere conantur imperium. Quem item fu-

git Zelus sacerrimus Sacerrimi Patris, sede mysticæ Babylonidos nobilitati; purpuratorum item & infulatorum Antistitum? sub quorum signis in suis lacunis grunniunt, crocitant, rudunt, Sues verè Bœoticæ Suitæ, Monachi, Sacrificuli, Moniales, Corvi purgatoriani, asini deniq; & muli Romanenses sub Papatu; quem, tanquam sordidissimum Augiæ stabulum, fœtorem & abominationem ad cœlum usq;, Apocalypsi teste, exhalans, ut Christus Dominus noster post factam jam B. Lutheri p. m. ministerio repurgationem, plenè tandem subvertere maturet, creberrimis suspirijs supplices vovere nos oportet. Hoc autem exemplum, justa suspensum trutina, sat firmitatis, arbitror, addet veritati parœmiæ nostræ: reverâ nimirum nihil sui cum amaricino esse; nec in eo quoad allegoricum etiam, quem dicunt, sensum quicquam meritò desiderari. Sed plurane suppetunt experimenta? Omninò: nam si hoc in viridi fit ligno, in arido quid fiet? Alterum ergò, & id quidem scholasticum, nunc annectam, cumq; eo dicendi finem faciam. Regi Colchorum Aëtæ viridarium fuisse memoriæ proditum est fragrantissimum juxta ac amœnissimum, non solum omni arborum, herbarum floscularumq; genere tanquam luminibus exornatum; verùm tribus etiam fontibus, singulis suis in alveo-

alveolis gratissimo susurro per medium horti labentibus irriguum, quorum primus lacte, medius vino, oleo tertius exundarit. Neutiquam verò, Auditores, literæ hîc astricti inhereamus: sed cogitemus, sapientem Antiquitatem ejusmodi narrationibus res longè gravissimas, veluti imaginibus & picturis quibusdam adumbrare potius voluisse, quàm quod res ipsa ita sese habeat. Et quidem, nî aberro, depictas hoc horto hisq; fontibus Veteres voluerunt Scholas & Academias. In his enim verè odoriferi spectantur, carpuntur, colliguntur, flores, doctrinarum, artium ac scientiarum præceptiones atq; fructus; flores, qui nunquam flaccescunt, nunquam marcescunt, odorem deperdunt nunquam; flores, quos in hisce viretis maturè ac feliciter decerpsisse, plus quàm regiæ dignitatis res est. In his quoq; scaturiunt tres illi fontes, liquore ebullientes, quovis lacte, quovis vino & oleo quovis præstantiori. Qua in re non ineptè facere videntur, qui primo fonticulo, lacteo videlicet, Logicam comparant, cujus institutis teneri animi veluti lacte primò omnium imbuendi sunt, donec ætate & judicio provectiores ad gustum secundi fontis, vino manantis, admitti possint, quem Ethica, Physica & Mathematica referre non incongruè dicuntur. Hoc fonte labra qui benè proluit sua, is demum

mùm confirmato jam & roborato ingenio tertij fontis fluentum consultò adire potest, capite triplici triplicíq; olei genere propullulantis, seq; aut Theologiæ, aut Jurisprudentiæ, aut Medicinæ balsamo quasi inunctum ad vitæ quoddam munus obeundum promptiorem efficere. Cæterùm haud injuria hortis & viridarijs Lycéa ac Scholæ comparantur. Nam eadem fermè cum ijsdem sorte fruuntur. Sicut enim illis talpæ, mures, ac inprimis sues & apri infesti sunt: ita nullum reperias literarium viretum, quod suos non habeat porcos, florido & vernanti ipsius statui funestos, inq; vastationem ejus quasi juratos depopulatores. At quinam illi? Non unius sanè generis sunt. Primò enim ibi conspicitur degenerum adolescentum quidam manipulus, qui sub mentita humanitatis & industriæ persona in talis quidem horti pomæria intromissi, posteà verò quam in excolendo eo lingua dextraq; sposponderant, negligentes operam, nihil magis suum quam officium faciunt. Et parum his esset culturæ hortuli talis proprijsq; studijs tantum tribuere temporis, quantum sus consumit in cœli contemplatione, nisi etiam Præceptoribus ac tùm Doctoribus, partim iniquis ac fatuis operarum censuris, partim enormi & ferina contumacia ingenium suum probarent; tùm alijs qui doctrinarum suavitate

tate capti polchriores subinde floſculos decerpere, atq; artium, quas τῶν καλῶν πραξεων meritò dixit Xenophon, liquoribus seſe delibutos reddere pro viribus & ingenij captu laborant, propudioſis ſcommatibus atq; ſcurrilibus exagitationibus oggrunnirent, ſuumq; eos in contubernium raptitare anniterentur. Qua quidem protervia ſæpenumerò quoq; efficiunt, ut docendi diſcendiq; ardor in multis refrigeſcat. Ut enim porcorum grunnitu maximus elephantorum numerus, armato milite inſtructus, in fugam conijci poteſt, id quod in Megarenſium quadam cum Antipatre pugna factum legimus: ſic animadvertas hoſce maleferiatos importunitate ſua quorundam animos ita disijcere, ut in medio ſtudiorum curſu haud rarò fatiſcant. Poſt hos aliud ſeſe offert agmen eorum, qui literis & ſtudijs liberalioribus, ſi non πανωλεθρίαν, cladem certè, aut labem ſolummodò aliquam intentare non verentur, qui ipſi diverſorum itidem ſunt generum. Alij enim ſunt, qui poſtquàm ſtudia literarum vix à primo limine ſalutarunt, ſuprà deſcripti viridarij fragrantiam vix ſubodorati ſunt, ejuſdemq; fontes, ne primoribus quidem labris, quantum vel canis è Nilo, deguſtarunt, mox ubi advertunt, quod nihil ibi votis reſpondeat, nihil palato ſapiat, naribus ſuis conveniat nihil, ſubdita pœnitudine correpti pe-

dem referunt, & ad volutabra redeunt, h. e. studijs valere jußis illiberalia iterum & sordida quæstus aucupia capessunt. O verò sputo homines dignos, & parùm absimiles, ne dicam æmulos porci istius, qui eleganti quadam eruditæ vetustatis fabula famosus est. Commemorantur enim animalia bruta in celebri quondam panegyri solemnes apparasse epulas, mensis exquisitißimis luxuriantes, ad quas cum & scrofa quædam suo cum comitatu adventasset, statim in ingressu quæsivisse fertur: an etiam siliquæ ibi adessent? quæ quia jure neglectæ erant, ipsa cum fastidio convivij abijt. His si adjungas, associandum autem puto, illud hominum genus, quod politioris literaturæ planè ἄμουσον est, exurget hinc vastißimus ille vulgi exercitus, quem beluam multorum capitum non absre Horatius dixit. In quo plerosq; literas tàm amare quam odisse, quis credat? Si enim amarent, utiq; vel teneros suos unguiculos saltem & pueritiæ adolescentiæq; annos ipsis consecrassent: aut certè, si id parentum fortè neglectum incuria, ipsi jam parentes facti, liberos suos majori cum diligentia, majori cum liberalitate præceptis illarum informandos traderent: si amarent, utiq; earum cultores uberiori honore prosequerentur, majori complecterentur favore; si amarent, utiq; ipsorum famam à viperinis ἀμαυσίας mor-

morsibus promptiùs vindicarent; si deniq; amarent, utiq; multò minus ipsi in congressibus suis bonos & honestos viros, Musis deditos, tàm nefariè ac impudenter convitijs proscinderent. Et quanquam excusabiles quodammodo ex his aliqui videntur, dum in ipsis ignorantiæ cujusdam prætextus sese ostendit: excusatio tamen est illa minimè ferenda: quandoquidem affectata ignorantia nullibi vacare culpa vel potest vel debet. Ast ipsam in vulgo obtinere, non est obscurum. Nam ea Virtutis atq; Honestatis vis est, dicente Cicerone, ut natura & specie sua per se placeat, invitos & ignorantes in sui admirationem rapiat. Cujus etiam rei in multis ejus farinæ contemtoribus ac osoribus haud levia sese exerunt indicia, quoniam videmus eos multoties illi, quem absentem miseris & indignis modis lancinant, præsenti quemcunq; exhibere honorem, nî frontem omninò perfricuerint. Si propiores hujus in his odij causas præter supra recensitas quæris; duæ præ cæteris eminent. Una Inscitia est, cui non omninò nihil tribuendum: nam verissimè dicitur, Ars non habet osorem nisi ignorantem, quæ tamen criminis immunitatem, uti dictum, non meretur. Accedit in multis, in multis sola juncta Invidiæ Ambitio, cujus stimulis furiosè agitantur, adeò ut sudes sit in oculis, quando

doctos sibi præferri cernunt. Ipsi enim magnifieri & supra reliquos extolli contendunt, sed parùm felici cum successu: nam fœculentæ nimis & piceæ sunt animæ, quæ per se à natura fundum petunt, Quare eò minus de illorum morositate laborandum est, & stolida ipsorum molimina risu magis quàm indignatione mactanda veniunt: quid enim suibus cum amaricino? Alij verò sunt, qui non ita derepentè absterreri se sinunt, sed animo collecto ad tempus bene longum in studijs versantur, & quandoq; parum abest, ut solidæ eruditionis culmen attingant: nihil tamen minus fit (nescio quo malo) ut sæpiusculè bove devorato in cauda, quod ajunt, deficiant, à Musarum partibus desciscant, & alij vitæ generi sese immergant. Quod ipsum tamen illis vitio aut dedecori vertendum esset nulli; neq; etiam inde mali aut incommodi quippiam in literis & literatos redundat: verùm hoc est quod querimur, hæc illa turpitudinis plena res est, quòd cum studiorum professione & tractatione, omni simul literarum & literatorum amore abdicant sese, animumq; assumunt à Musis alieniorem. Unde fit, ut, dum non amant, tacitum odium contrahant, quod protactu temporis in actum & lucem erumpere solet. Et hi interdum evadunt in hostes literatorum infensissimos. Omnis quippe apostata,

ut commune habet dicterium, est persecutor sui ordinis. Qui verò præter hosce dicatum literis cœtum odio ac insidijs prosequuntur, dum etiamnum ipsi studijs immorantur, & nihil honoris, nihil rei possident, quod non literis sit acceptum ferendum; hi prorsus execrandi & hominis appellatione indigni videntur. Nos autem, quando hoc fortè evenire videmus, neq; miremur, neq; offendamur nimium, memores tùm hujus nostri quàm certissimi adagij: nihil cum amaricino sui; tùm illius quod dicitur: nullum animal venenatum esse, quod sui antipharmacon secum non habeat. Longior essem, & pluribus hæc persequerer, nî, præterquam quod tempori parcendum est, scirem, illa tum cuivis ad nauseam usq; obvia, tum non omnibus æquè grata esse. Quapropter Orationis vela contraho, spe fretus indubia, cognitum jam satis esse, quàm verissima simul ac elegantissima sit Gnome nostra, quomodoq; ea locum inveniat non in bruto tantùm, sed & rationis capaci animantium genere, quod ejus interdum est stoliditatis, ejus malitiæ, ejus impuritatis, ut obstupescas: Diaboli autem & pravorum affectuum furijs magis obnoxium, quàm ut existimari posset. Quæ cum ita sint, Auditores, dictam perversitatem in corruptis istiusmodi animis eo cum assensu admittetis, qui dexteritati in prudentibus

tibus non est denegandus; admiratione autem tantâ, quantam vel asinorum ruditas, vel graculorum garrulitas, vel obscœnitas scarabæorum, vel suum denique spurcities apud quempiam fas est mereri. Vos autem commilitones, nil horum morati, pergite, atque id in studium, in quo estis, incumbite. Supplices verò antè omnia mecum vos Deo abijcite, orantes, ut vineam suam, hoc est, Ecclesiam puram sonantem doctrinam inter nos plantatam ad posteros propagare annuat, eamque ab omni depopulantium, ac deprædantium violentia indemnem servet: cumprimis verò huic nobis Academiæ ROSETUM ac viridarium æternùm florere faciat, atque ab omni barbarie & pagano squalore mundum conservet: tum aprorum & suum represso impetu ab omni vastitatis & solitudinis malo defendat. Faxit idem, ut suavissimi ejus odores feliciter undiquaque diffusi, ejusdemque rivuli in omnes omnium vitæ ordinum, partes feliciùs traducti, boni publici ubertatem quàm felicissimè promoveant, in hominum salutem ac magni sui nominis gloriam. DIXI.

In

In Avaritiam.

Pronũciata est 15. April. Anno 1613. à Conrado Brandio Rostoch.

QUanquam, Auditores, ea est humanæ imbecillitatis conditio, ut multi caligine erroris occæcati, sua rarò agnoscant vitia, sed ea modis omnibus tegere ac palliare, aut his etiam virtutum nomina imponere conentur: nos tamen rectæ rationis lumine excitati, scelus omne non minus turpe, quam perniciosum, & Christianæ religioni maximè contrarium ducamus ambobusq; quod ajunt, pedibus effugiendum & à virtute distinguendum esse arbitremur. Quemadmodum enim non ex aurato freno aut ephippio generosi equi bonitas æstimatur: ita nec homines exteriori habitu judicandi sunt, sed quos virtute inflammatos ad verum gloriæ fastigium aspirare cognoscimus; in quibus interior pulcritudo omni numero lucet, hos laudandos, amplectendosq; statuamus. Virtus enim sola est, quæ omnium charitates in se continet:

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Sed tamen sæpe fit, ut & hîc decipiamur, ut non rarò sub specioso cortice vermem aliquem pestiferum, nescij, ignariq; foveamus. Atq; ut cætera id genus dicendo ne conjecter: quis nescit Avaritiam suos passim

passim habere & cultores & admiratores, qui eam tanquam virtutem quandam rebus suis rectè consulentem, omni conatu & singulari quodam amore amplectantur atq; prosequantur? Hujus enim farinæ homines terra alit quam plurimos, qui immensam illam & inextinguibilem cumulandarum opum aviditatem instar numinis ita exosculentur, ut jures te citius Herculi clavam eripere, solem à cursu deflectere, & ver ex anno tollere, quàm illos ab hoc turpissimo lucrandi studio, ad quod tanquam ad Sirenum scopulos consenuerunt, ad αὐτοχειρίαν studium posse retrahere. quin imò stant inconcussi & longè firmiores in detestanda hac sententia, quam quercus Vergiliana, quam

> Alpinæ Boreæ nunc huc, nunc flatibus illuc
> Eruere inter se certant,
> Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
> Æthereas, tantum radice in tartara tendit.

ut enim lenonibus lenocinium & stupra placent: sic videas nonnullis Avaritiam adeò placere, ut non immerito dictum sit: placere suum reginæ regem. Mihi verò, Auditores, nunquam persuaderi patiar, esse tam honestam avaritiæ faciem, tantamq; ejus pulcritudinem, ut me in sui non dico amorem, sed admirationem rapiat: quin ita potius statuo: Avaritiam esse rem detestandam atq; abominandam. Quod dum argumentis certis evinco, quæso, quoniam

omne

omne mihi perfugium in vestrâ bonitate situm est, Auditores, ne ego, qui non quærendo, sed rogando à vobis hoc impetrare gestio, operam vestram frustra implorasse videar.

Cum omnia vitia virtute claris viris invisa sint: avaritia tamen præcipuè omnium bonorum sibi odia conflat. Quis enim est, qui non eum, quem avarum esse constet, quasi maleficum aliquod & noxium animal fugiat, aversetur, insectetur? cæteris vitijs affectos aliquo modo ferimus: quibusdam ignoscimus: quibusdam non offendimur: quibusdam in hac vitæ morumq; corruptione etiam oblectamur: solus avarus communi omnium odio flagrat: suis, alienis, civibus, peregrinis, notis, ignotis, invisus, exosusq; est avarus. Itaq; quantum ab homine pio & probo alienum esse oporteat hoc vitium, etsi vel hinc patet, tamen & inde idipsum facilimè cognosci potest, quod avaritia, religionem fidem, caritatem, cæteraq; omnia pietatis instituta, funditus evertit. Qua enim, obsecro te, ratione fiet ut qui avaritiæ deditus sit, is religiosè vitam suam instituat? cum avaritia semel captum hominem totum ad se rapiat, nec de honestate, nec de justitiâ quicquam cogitare sinat. Neq; verò qui fidem servare, singulosq; homines ex divinæ legis præscripto, tanquam se ipsum, diligere studuerit, ullo

modo conabitur quemquam furto exhaurire, aut fortunis patrimonioq; spoliare. Nam quod cum expilatoribus rem habeat avaritia; id inde patet, quod divinitus in nos collata bona, quæ ad alimoniam & vitæ conservationem super sunt, quæq; omninò sunt pauperum, ab his aufferre, & ad avarum, cum detrimento egenorum, dolo malo transferre doceat. Vir enim probus atq; intelligens honestis tantum rationibus & artibus, non fraude divitias quærit. perditorum verò & improborum conditio est, quos neq; divini numinis horror, neq; existimatio populi, neq; leges ullæ coercere possunt, ut omni corporis & animi contentione, per fas & nefas, pecunias corradant, corrasas in usum à legibus & natura prohibitum convertant. Sed illud forte absurdum avarus dicet, quod ea bona, quibus ad vitam vel colendam, vel ornandam non indigemus, esse pauperum, non verò nostra dicebamus. Hic mihi, Auditores, vestro opus est accurato politoq; judicio: qui sacris literis imbuti, veraq; pietate eruditi ipsi perspectum & cognitum habetis, nos non nostrorum bonorum dominos, sed œconomos & administratores esse: quibus à Deo, principe illo principum, serio demandatum sit, ut ijs, quibus abundamus, bonis proximum juvemus, non ut illa in abdita recondamus, & vectibus sigillisq;

iisq; obstructa teneamus. Quod igitur rebus; quæ ad nostram nostrorumq; curam, vitæq; sustentationem satis sunt, super est, id nostrum non est, sed eorum quos egenos & inopes esse novimus. Vita nostra quâ fruimur ecquid ulli hominum data est mancipio? non opinor, Auditores, quenquam fore tàm stolidum, qui hoc dicat; ac non potiùs fateatur, vitam omnibus usu datam esse. at quantò magis id de bonis fortunæ, cum vitâ sint longè inferiora, dicendum erit: nulli ea esse mancipio data, sed omnibus usu? ac profectò, quemadmodum Eleemosynæ non sunt ejus, quem ijs distribuendis præfecit Princeps, sed eorum, in quos distribui jussit: sic bona fortunæ mihi videntur non esse ejus, quibus ea Dominus largiter concessit: sed eorum, quos juvari vult Dominus ijs bonis. Intellexerunt idipsum etiam Ethnici. Xenophon in Oeconomicis pecuniæ hūc esse usum asserit, ut & Deus magnificè honoretur, & amici, si qui indigeant, adjuventur, & ut patria exornetur. Ælianus verò de quodam Lacedæmonio, cui Timandridæ nomen erat, commemorat: eum, cum longinquam peregrinationem suscepisset, familiæ procurationem delegasse filio: cum autem revertisset, & rem multis partibus filij industriâ auctiorem reperisset, quàm ante fuisset, non modò non laudasse filium, sed etiam

succensuisse & vituperasse, quod diceret, ab illo Deos & familiares atq; hospites injuriâ affectos, quibus deberentur, quæ ex facultatibus superarent. O vocem laudabilem, & omni memoria æternandam! hac hac Lacedæmonius ille in extremo judicio avaros nostros, qui ea quibus circumfluunt, sua esse garrire non erubescunt, graviter accusatos, damnabit. Sed age, quicunq; es, Avare; aliquando, dum adhuc in via es, in te descende: te ipsum respice: cogita quàm turpem personam sustineas: memento quæ habeas, à quo acceperis. Dei, Dei inquam sunt: à Deo ista habes: Dei es minister, & villicus conservorum: ne putes omnia ventri tuo esse præparata, quæ habes. Quo ergo nomine appellandus sis, an non ipse vides? nonnè furis? cum ea, quibus ipse non egeas, quæq; non tua, sed pauperum sunt, aufferas aut expetas? fur es, avare, perinde ut is, qui ab eleemosynis est, si erogandæ in pauperes stipis partem sibi reservat. Atq; hæc quidem quamvis ejusmodi sunt, ut ad concitandum, inflammandumq; in avaros quemlibet torpentem animum, sufficere posse videantur: ex tam uberi tamen campo alia quædam proferam. Quemadmodum enim ij, qui præclari alicujus ædificij pulcritudinem pervidere ac penitus cognoscere cupiunt; non satis sibi esse ducunt, illud uno totum aspectu

ctu contemplari, sed singulas etiam partes sibi perlustrandas ac seorsim considerandas putant: ita nos si hoc vitium accuratius excutere voluerimus: quanta illius turpitudo sit intelligemus. Ac profectò, si in fructus avaritiæ te penetres, videbis, quam fœda auditu, quamq; nefaria factu illa sint, quæ ipsa perpetrat. An non enim flagitiosa hæc sunt, nulla re proximum egentem juvare? afflictis non succurrere? non pascere fame laborantes? siti confectos non recreare? omnium bellorum, oppressionum, expilationum, eversionum, populationum & publicarum calamitatum, quæ bella sequuntur, esse causam? Cumq; hæc omnia avaritiæ ita perspicuè insint, ut se omnium oculis conspicienda coràm exponant: tum illud fortè minus aliquibus sese offert, quod etiam homines avaritia dat internecioni. Etenim sua duritie suaq; illiberalitate egentes inopiæ mactandos, egestatiq; consumendos tradit. Ut enim ignis non tantum aqua subjecta, sed etiam nullo pabulo suppeditato extinguitur: sic hominibus non modo vi illata, sed & non datis, quæ ad vitæ conservationem necessaria sunt; vita eripitur. at quid de homicidio dico? avaritia homicidis truculentior est. hi enim uno impetu homines tollunt: illa vero curis & laboribus diu noctuq; oppressos lenta tandem morte enecat. Quare rectissimè

dixit, qui dixit; avaritiam esse beluam, feram, immanem, intolerandam, quæ oppida, agros, urbes atq; domos vastat; quæ divina humanis permiscet; cui nec exercitus, neq; mœnia obstent, quo minus vi sua penetret: quæ omnia diruit: quæ nullis miseretur: nullosq; miseratur. Adde quod & avaritia docet colere Idola: siquidem divinum cultum & honorem tribuit pecunijs, fiduciamq; suam, quam in uno Deo collocare debebat, rebus creatis, quas pro DEO colit, apponit: cum eas in pectore collocet, quæ templi divini pars est illustrior & eminentior, quamq; Deus sibi, & Spiritui Sancto in sedem & domicilium peculiariter consecravit. Etenim si vel minima reverentiæ significatio idolo facta; si manuum sublatio, capitis submissio, genu flexio verum idolatriæ argumentum est: quid dicendum de avaro, quem constat omnem suam curam, omnē studium, omnem cogitationē in rem creatam defixam habere: ei uni confidere: de ea una noctes, diesq; cogitare? Ac certè, si interiora avari inspicere posses: animadverteres, eum apud se loqui in hunc modū: næ ego beatus sum, qui tantum possideo auri! dicant de me quicquid velint alij pauci: ego tamen in nulla alia re meam spem collocatam habeo, quàm in nummis. atq; miseri illi profectò mecum facerent: verum quo minus hoc

fiat,

fiat, in causa est, non quod revera de me siniſtre sentiant, sed quod pecunia & nervo destituuntur, nec me consequi possunt. Ego verò ob divitias in precio sum apud omnes: ob divitias observant me omnes. hæ me pium faciunt, cum sim improbissimus; bonum, cum sim sceleratus; prudentem, cum sim Tanagræus cetus; justum, cum sim injustissimus; temperantem, cum in omni turpitudinis cœno me volutem. ô regina pecunia! quàm ego te amo! quàm ego te magni facio! tibi ego me totum do, tibi trado; tibi serviam, dum spiritus hos regit artus. Hæc, si jam possent in avaro cerni quæ tecta sunt, dubio procul deprehenderemus, & adhuc his longè detestabiliora. Itaq; Paulus ille Tarsensis avarum idolorum vocat servum: & avaritiam radicem omnium malorum. ex Philosophis verò nemo unquam asperius dixit in ullum aliud vitium, quàm Solon ille sapientissimus fecit in avaritiam: qui cum omnia vitia execrari & detestari maximè studeret, tum summum ei fuit visum opprobrium, quod de avaritia dicebat, esse eam omnis turpitudinis metropolin. adeò præclarum ac insigne Soloni fuit Avaritiæ nomen, ut eam statueret esse impietatis in Deum, improbitatis, adulterij, furti, calumniarum, & omnium, quæ in hominem cadere possunt, scelerum caput & ducem.

O te

O te turpissimam avaritiam! O te detestandam! quæ servos tuos tum aliorum facinorum reos, tùm idolorum facis cultores! Quam rectissimè dixit, qui te invehi dixit quatuor vitiorum rotis: pusillanimitate, inhumanitate, contemtu Dei, & oblivione mortis: jumēta trahentia esse rapacitatē & tenacitatem: quibus unus auriga præsideat, habēdi ardor! quid enim, Auditores, fædius auditu? quid turpius cogitatu? quid factu execrandum magis, quam sordidè vivere? neq; nos ad multò majora quædam & excellentiora —, quam ad istas terrenæ fecis quisquilias natos esse cogitare; sed semper in area aut pyxidula animos habere conditos? Maximus verò & pernicioßissimus avaritiæ morbus est, quod impios facit profanosq;. Arcet enim homines à verbi divini auditu, quod fidei fundamentum est: sin audiatur, id à mente removet: quod si mente peripiatur, obstat ne fructus producere queat, illudq; simul ac incipit crescere, ut spinæ satum in dumeto granum, suffocat. Quod facile in omnibus avaris cernere est: quos videas Dei providentiam, & de rebus creatis curam, à qua vitæ nostræ pendet conservatio, nullam considerare. Sperant enim futurū, ut cum maximè divitijs inhiant, cum amplissimas possessiones & incommemorandam pecuniam corradunt, tum benè beatèq; vivant, nullo-

loq; Deo indigeant. At insani & miseri isti homunciones non animadvertunt, quàm fragile turpissimæ cupiditatis vitrum lucrentur: gratiam autem Dei, tranquillitatem animi, & multas pretiosissimas æternitatis margaritas turpiter amittant. O cæca hominum judicia! ô fallaces spes! ô lubrica & ancipitia humanæ vitæ curricula. Fac enim, proponas avaro promissiones Dei: inculces ei benignitatem Jehovæ: decantes ei divitias amoris Dei: emoriar, nisi pluris fecerit numum aureum in crumenâ, quàm dictum in sacra pagina: nisi longè majorem ex pecuniolâ in arca inclusa, quàm ex omnibus cohortationibus, obtestationibus, monitionibus, ijsq; non in lingua natis, sed ex ipsis sapientiæ divinæ fontibus productis, fiduciam conceperit. Quod si ejus mentem immutare, impellere, retrahere: si cupiditatem profligare atq; exterminare, si futuras pœnas avari oculis subijcere, inferorum sedes ipsi aperire, torsiones, cruciatus, supplicia scelerum patefacere coneris: jam verò actum ages, surdo fabulam canes, nec tàm his monitis illum commotum videas, quàm si unius numuli lucrum ipsi excidisse quispiam nunciaret. Qui enim pecuniarum illecebris illectus inhiare ijs cæperit, ille nihil magnificum, nihil præclarum, nihil quod ad honestatem pietatemq;, nihil quod

ad æternam vitam spectare videatur, cogitare potest. Hominem ad hoc procreatum Anaxagoras etiam novit, ut cœlum suspiciat, & assiduè contempletur: sed profectò vilescit animus, & hominis præstantia deprimitur, cum relicta cœlestium ac divinarum rerum cognitione, sese ad ista infima caduca & fragilia fortunæ munera demittit, & nulla re, nisi pecuniarum polcritudine recreatur. At inquies: ille malè vivit, & felix est: ille justè vivit & laborat. Non indignetur, inquam, justè vivens, & laborans: nec exsultet malè vivens & felix. intus ille habet, quod felix hic non habet. non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat. felix ille habet aurum in arca: iste Deum in conscientia. ille habet illud quod perit, & ibi habet unde perit, iste Deum habet qui perire non potest; ut inquit augustus ille Augustinus. Cum igitur illa, quæ cum pietate pugnant, avarus agat; quis non, nisi talpa cæcior, eum à fide, à Deo & lege videt alienissimum? Poëtæ, ut avari formam exprimerent, similem finxerunt Tantalo, fame sitiq; perpetua cruciato, quamvis cibum ac potum labris prope contingeret: Lucianus vero cani comparat fœno incumbenti, qui licet fœnum comedere non possit, alios tamen ne comedant, arcere latrando conatur. Pari modo avari pecuniarum sunt inexplebiles; qui magnis opibus

bus undecunq; conquisitis, nunquam tamen possunt exsatiari: &, licet Pythij, Mysorumq; talenta habeant, licet infinita jugera possideant; nihil ijs sat est: alijs autem nihil communicant. tanta est in ijs auri sitis! tanta argenti fames! cum enim avari anteponant utilitatem semper honestati: cumq; quæstum emolumentum, fructusq; proposita sibi sola habeant, atq; toto impetu ad illa rapiantur: fit, ut habendi cupiditate usq; eò excæcentur, ut honestatis, quæ finem præscribit habendo, sceleratè obliviscantur. Nam quid dicam, quo studio, qua cura, qua solicitudine se defatigent Avari: ut nec cibi, nec somni recordentur? ut totas sæpissimè noctes vigilent? ut lucem tenebris, tenebras luci copulent? & tandem non saciati recedant? O perversam perversitatē! ô malitiam! aliorum bonis inhiare, eaq; ad se aquilinis ac miluinis unguibus instar Harpyiarum rapere! lucrandi gratia omnia pati, ut nihil sit quod te ab hoc removere possit: non sitis, non fames, non frigus, non calor, non demiq; somnus omnium sensuum quies placidissima. Quid enim, Auditores, aliud agunt avari, nisi ut lucro soli studeant; dormientes de lucro somnient: vigilantes lucrum in ore frequentissimè habeant: cum lucro cubitum eant, cum lucro cubitu surgant, cum lucro incedant, stent, sedeant, ambulent? &, licet

omnes ciſtas auri plenas, argẽto refertas onuſtasq; habeant: nunquã tamen explere queãt cupiditatis ſitim; quin potius continenter plura conquirentes, majora ſemper appetentes, plurima congerere ſatagant? Conſiderate igitur & cum animis veſtris reputate, Auditores, num adhuc mirum videatur, quod toties in ſacris literis avari improbentur, & ab æterna felicitate repellantur? quod Tarſenſis ille nos adeò ſtudiosè ab avaritia dehortetur, quia ſit omnium malorum radix; quodq; affirmet; qui diteſcere cupiunt, eos in tentationem & laqueum Diaboli, multasq; amentes & damnoſas incidere cupiditates, eos inevitabili Orci carcere conſtrictos teneri, in cavea æternæ mortis vagari, & undiq; tam corporis quàm animi periculis circumveſtitos eſſe? Quid enim aliud Lacedæmonios perdidit, quàm nimia pecuniæ & auri cupiditas? An non verò Romanos, cum antea invicti eſſent, avaritia vicit, eisq; antiquum nominis decus ademit? an non Polymneſtor, auri cupiditate adductus, Polydorum, Laomedontis Trojani regis filium, in litore ambulantem telis aggreditur, & ut Poeta ait: obtruncat, & auro vi potitur? Cræſus ille ditiſſimus, nec regno Lydiæ, nec infinitis tributis ſitim ſuam extinguere poterat; quin tandem regni amplificandi ſtulta cupiditate impulſus

sus bello Cyrum aggrediatur: à quo devictus, & regno & libertate spoliatus est. Constantinus, Constantini Magni filius, non contentus sua sorte, quamvis Italia & potior pars ei obtigisset, fratrem minimum, Constantem, armis invasit, ut partem ejus quoq; auferret: cui contra cecidit, ut eo bello & vitam & regnum simul perderet. Tolerabilia hæc videri possunt, quanquam sunt gravissima: illa verò pœna, quæ æternum manet avaros, quàm est lamentabilis? Quid enim avaro illi, cujus sacra pagina mentionem facit, qui preciosis cottidiè vestibus induebatur, splendidèq; vivens genio indulgebat, quid ipsi perniciem attulit æternam, nisi divitiarum abusus? Quid Judæ Christum prodendi ansam præbuit, quid eum in barathrum infernale præcipitem egit, nisi sitis pecuniæ? Hæ sunt deliciæ, quibus avaritia suos beat! hæc sunt bona, quibus eos remuneratur! O scelerum omnium radix Avaritia! quo miseros mortales sui penitus oblitos, consiliorum inopes, cæcos, amentes, non raptas? in quæ probra semel à te captos homines non detrudis? Quis est ergo, qui te non cautius sanguine viperino fugiat? quis est, qui te navibus & quadrigis ut ajunt, quis te remis ac velis non vitet? quis est, qui te ceu Scyllam & Charybdin non detestetur? Tu efficis, ut mortales divinum cultum deserant,

rant, humanam societatem violent, oblivione justitiæ capiantur: tu leges, tu amicitiam evertis: domos aliorum exhauris: tum ad omne flagitium —, ad omnem turpitudinem facem præfers: tu hominem dementem, perfidum, furiosum, reddis; ut non aliter atq; immanissima belua Deum, & homines contemnat & pro nihilo ducat: tu deniq; tui cultores sempiternis supplicijs mactandos mancipas.

Tu verò æterne Deus, rege & accende corda nostra Sancto tuo Spiritu, ut te & sanctam voluntatem tuam per filium tuum patefactam, verè agnoscamus. evelle ex cordibus nostris omnes radices vitiorum: elide fibras omnes cupiditatum: extingue omnia nequitiæ semina. protege nos ab Avaritia, quæ omnium malorum radix est, ne eam appetentes, erremus à fide, & in tentationem ac laqueum Diaboli incidamus, & in desideria multa inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Da nobis sanctæ tuæ sedis assistricem sapientiam, & mitte Spiritum de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, quo nobiscum ille habitet & laboret semper, & urat igne suo spinas illas, quæ perpetuò in nobis succrescentes, tui seminis profectum impediunt: ut expediti pondere inutilium sarcinarum tua vestigia facilius & alacrius persequamur. DIXI.

Enco-

Encomion Eloquentiæ.

Pronũciata est 9. Nov. Anno 1613 à Joanne Salvio Sveco.

Quod rectè non minùs quàm prudenter à sapientissimo & Invictissimo illo mundi domitore Carolo V. factitatum legimus, Auditores, ipsum priusquàm quidquam aggressus sit, illud diuturnâ semper præmeditatione deliberandum suscepisse: id nobis, qui sub Musarum vexillis stipendia meremur, omninò esse imitandum, tàm duco consultum quàm quod consultissimum. Ut enim sagittarius minùs rectè collineat, nec animi sui desiderio ullâ ratione satisfacit, nisi scopum, quem tangere meditatur, constanti intueatur lumine: sic certè, nisi utilitatem istarum rerum, quas nos assecuturos arbitramur, fixis oculis tanquàm metam sedulò inspexerimus, necessum erit, nos in toto cursu, fortunâ, non consilijs regi, ac fluctuare. Proindè non poterit non multùm prodesse, si in laudabili hoc congressu, in quo ad res præclaras, & honestas, nobisq; ac studijs nostris apprimè utiles, oratione tractandas, convenimus; accuratè quoq; viderimus, dicendoq; investigaverimus, quid de his ipsis exercitationibus, & in universum, quid de Eloquentiâ sit statuendum. Nunquàm enim defuerunt, qui hoc studium, tanquàm homi-

hominibus pernicioſiſſimum, nullâq; æſtimatione dignum, ſemper culparent, atq; convitijs indeſinenter proſcinderent. Contra quos, & veritatem fortiter defendendam, & animos diligenter muniendos exiſtimo. Quamvis autem non dubito, fore, qui arbitrentur, alia fortè graviora in doctiſſimum & eruditiſſimum hunc locum afferenda: tamen, cùm hoc ſtudium verè ſit regium ſtudium, id quod tot præclariſſima illuſtrium virorum, Cæſarum, Imperatorum, Regum atq; Principum, admirabili eloquio inſigniter patrata facinora, apertiſſimè in orationis progreſſu commonſtrabunt: quid hoc argumento poſſit eſſe gravius non certè video: præſertim cùm non ſolum Regum atq; Principum, verùm totam etiam omnium omninò hominum vitam, ſine eloquentiâ corruere, & labefactari neceſſe ſit. nihil enim homo, ut cum Senecâ loquar, ſine virtute eſt: quomodo autem ad virtutem excitaretur, ſi illuſtriſſimum hoc ſanctiſſimi eloquij ſtudium è mundo tollatur? nemo itaq; ſanæ mentis, inficias, opinor, ibit, quin hoc deſerto, & abjecto ſtudio, ipſa quoq; Virtus jaceat. Quare, ut in iſthoc ſtadio & ſtudio Eloquentiæ, quid de ipsâ ſtatuendum ſit: atq; nùm diligenter excolenda: an verò omninò deſerenda ſit, ſedulo deſpiciamus, & apprimè neceſſarium ſtatuo, & oppidò quàm utiliſſi-

utilissimum. Scio equidem, quàm ego minimè ad hanc tantam rem obeundam, sim aptus & idoneus; cùm neq; tanto ingenio, neq; tantâ doctrinâ, tantoq; rerum usu valeam, ut omnia, quæ in hac oratione dicenda, & explicanda essent, dignè sustinere possim: Vestrâ tamen, Auditores, quâ erga alios ex hoc loco perorantes, sæpiùs usi estis, humanitate & benevolentiâ fretus certissima, hasce, non ingenij sed exercitij, non ostentationis, sed consuetudinis partes in me lubens ac libens susceperam. Certis igitur argumentis ostendam: Eloquentiæ omninò esse studendum: illorumq; cavillationes, qui contrarium asserunt, fortiter improbandas: ita tamen, ut quod, per tenuem ingenioli mei supellectilem ipsemet de hoc præclaro themate satis dignum excogitare non potero; aliundè mihi mutuo sumam. Quod dùm facio, à vobis contendo Auditores, facite, ut balbutientem in dicendo infantiam nostram, vestra attentione, exigui temporis spacio, benevolè sublevari, experiundo cognoscam.

Omnes equidem scientias à Deo immortali mortalibus clementer concessas, æquo quasi momento mecùm perpendens, nullam sanè comperior, quæ plurium hominum calculis, & suffragio excellentiori, graviorq; honestatis encomio, ac pondere insignita sit, quàm honestissima illa omnium regina disciplinarum Elo-

quentia. Nec profectò sine causâ. nam cùm singulæ scientiæ singulas hederas, unumq; solummodò insigne, propter quod laudem merentur, habeant: sola hæc rerum Domina duplici quasi virtute insignita, artes ac disciplinas alias longè supereminet universas. Quid enim aliud est Eloquentia, quàm insignis & BENE dicendi, & SAPIENTER dicendi facultas? Utrumq; sanè ut præclarum, ita quoq; singulari dignandum præconio laudum. Quis enim illum non vel maximo observantiæ honestamento dignum judicat, quem novit multiformi variarum scientiarum cognitione, omnibus alijs velut à tergo relictis, multis parasangis antecellere? Honoramus Doctorem Medicum, quoniam scientiâ mysteriorum naturæ excellit: suspicimus professorem juris, quia quid justum, quid injustum, quid honestum, & quid turpe sit, penitus callet: & quis verbi divini præconem non veneratur? quis eum non colit? quòd animum divinis literis consignatum habeat. laudantur certè ista in homine bona. at nec vituperantur hæc, si adfuerint dona: solutam & volubilem habere linguam; laterum quandam firmitudinem ostentare: canoram & sonoram vocem fundere: verborum & figurarum quadam elegantiâ sermones suos condire: non secùs, ac Luscinia tempore æstivo solent; quæ nunc vocem in lon-

longum ſpiritu continuo trahendo, mirâ cum varietate flectunt: nunc conciſo ſono diſtinguunt: paulo poſtintorto copulant; audientiũ aures, ac animos ſingulari & incredibili pronũciandi ſuavitate poſſe perfundere. Honeſtũ itaq; utrumq; & doctrinâ excellere, & eloquentiâ pollere. Præclara res ratio; præclara quoq; oratio: longè verò præclariſsimum, ſi illuſtris ratio, illuſtri fuerit oratione, tanquam luna reliquorum ſiderum lumine, irradiata atq; exornata. Unde laudandus quidem Medicus, ſi varias naturæ virtutes calluerit; admirandus verò, ſi eaſdem egregiâ ſermonis facundiâ cùm multis communicaverit. inſignis quidem Juriſconſultus, ſi tàm divinæ, quàm humanæ ſit apprimè gnarus Juriſprudentiæ: illuſtris merito, ſi inſignes res illuſtri oratione eloquatur. ſuſpiciendus Theologus, ſi ſacrarum literarum cognitione polleat; admirandus, ſi easdem fideliter animo conceptas res, apertâ propriorum ac ſignificantium verborum ſententiarumq; puritate poterit explicare. Ut ut tamen hæc ſingula magnificè extolluntur, ſtupenda tamen res eſt, poſſe nimirum omnem materiam, omnem rem, omnem ad dicendum propoſitam quæſtionem, jucundis troporum & figurarum luminibus, ceu gemmulis & floſculis quibuſdam, depingere & diſtinguere: nec non ponderosâ

rerum gravitate, personis & temporibus, locis & causis conformiter, ac convenienter tractare, magnificeq; exornare. Quod intelligens divinis ille ingenij dotibus abundans Seneca jure exclamavit: Felicem illum, qui in aliquam saltem dicendi facultatis partem receptus esset: paucis enim se ità indulsit, ut tota contingeret. Totum verò hoc, quantum est, quod sanè maximum & stupendum verè est: totum, inquam, hoc cùm illustris illa rerum domina Eloquentia suo quasi gremio includat, & tanquàm pro insigni gestet; meritò nihil illâ nec præclarius, nec honestius, nec majori veneratione suspiciendum, humano generi à Deo concessum, constanter affirmandum censeo. At verò quod res honestas attinet, quid de illis sentiendum sit, nemo est, qui ignorat. Negem illas summo amore colendas? non esset hoc boni viri: negem illas unicè amandas? ne hoc quidem hominis esset; quippè quæ non humano semore satæ aut prognatæ sunt: sed quæ ab ipso Deo, omnem mortalitatis captum superante, originem ac familiam traxerunt. qui ter optimus cœlestium pater quæcunq; omnipotenti suâ manu fabrefecit, annon in omnem æternitatem bona existunt? novit autem Ethnicus nihil esse bonum, nisi quod idem honestum: dicit enim quod rectum, & honestum, & cum virtute est, id solum

esse

esse bonum. Itaq; cùm sciret nihil bonum non esse summoperè expetendum, quoniam præpotentem omnis illum bonitatis fontem Deum auctorem habet: honestum autem revera tale esse cognoscens: sapienter ac penè divinâ mente subintulit, id solum, nec quidquam aliud esse expetendum, quàm quod sit honestum. Dixit, inquam, hæc homo Ethnicus: nos Christiani: qui, ut omne malum â perversissimo omnis malitiæ authore Diabolo fluere ac pluere, ità nihil bonum à Deo ter optimo maximo non promanare, indubitanter confitemur: tàm inconsideratè res bonas, & honestas non summè amplectendas affirmemus? non esset hoc sani hominis; cum præsertim nihil sit (ut illud extremo quasi digito contingam) quod hominem magis deceat, quàm divinam in se imaginem, ad quam à Deo formatus, & reductus sit, diligenti virtutum & honestatis operatione perficere: nihil contrà, quod ipsum magis deformet ac dedeceat, quàm eandem similitudinem majore ignorantiæ labeculâ conspurcare atq; delere. Sed quid ego pergo, prolixis verborum ambagibus, honestum apud honestatis studiosos suadere? cùm enim & ratione & argumentis liquidò appareat, rem bonam & honestam summè esse colendam: nihil verò Eloquentiâ neq; honestum magis, nec magis præclarum; quis tàm

mucosis naribm, aut tàm stolidæ frontis, ne dicam inhonestus esset, qui tàm splendidam Reginam, tantæ bonitatis nutricem, non summè veneretur, amplectatur, exosculetur?

Verum enimverò audire ego jàm mihi videor, mutorum quorundam brutorum potiùs, quàm hominum insulsas voces, qui ineptè contendunt, Eloquentiam nullâ omninò laude dignam, sed potiùs ut rem vituperabilem, odio plusquam Vatiniano prosequendam, atq; ex omni libero populo proscribendam. Dicunt enim, illam non abs numine aliquo divino, aut cœlesti inspiratam flamine: sed à Diabolo inventam, remq; ab omni honestarum rerum numero longè alienissimam esse: utpotè quæ nihil aliud sit, quàm subdola quædam homines exquisito fuco, & subtili eloquio decipiendi industria: & perversa bonos opprimendi, malosq; redimendi calliditas: versutaq; fallacibus argumentis veritatem oppugnandi, & inania intrudendi solertia: astuta deniq; incautos hominum animos asperis, & hamatis errorum sentibus implicandi vafricies. Adducunt pro exemplo Vatinium, qui cùm à C. Licinio Calvo, Ciceronis æmulo, insigni orationis vi accusaretur, exurgens exclamarit: Rogo vos, Judices, num quia hic disertus, ego insons condemnabor? ex quâ inimicitiâ odium Vatinianum in pro-

ver-

verbium abijt. adducunt Carneadem, quem ferunt, cum pro Justiciâ multa publicè, eleganter & sapienter disseruisset: postridiè non minore facundiâ, & copiâ contra Justiciam peroraſſe. afferunt Brutos, Craſſos, Gracchos, Catones, Ciceronem & Demoſthenem, qui ut omnium habiti ſunt eloquentiſſimi, ita ſemper fuerint omnium ſeditioſiſſimi. Cenſorius Cato quadragies accuſatus: ipſe ſeptuagies, ac ultrà alios reos fecit, totâ ætate ſuâ inſanis declamationibus Reipub. tranquillitatem perturbans. Alter Uticenſis provocato Cœſare, libertatem Romanam funditùs evertit. Item Cicero Antonium in Reipub. perniciem provocavit: quiq; ob ſimilem rationem Romæ appellatus eſt Rex, quia Senatum quovis vellet, verteret dicendo, oratione ſua omnia regens. Demoſthenes item Philippum contra rempubl. Athenienſium incitavit: quem etiam ſæpiùs gloriatum apud amicos, ajunt, ſeſe, quandò liberet, poſſe Judicum ſententias ad ſuam voluntatem convertere artificio ſermonis. Tàm ſubdolè verò homines decipere; bonos opprimere, malasq; cauſas defendendo redimere malos: nocentes reos legis periculo eripere, innocentes contrà accuſando damnare: veritatem oppugnare, & inania intrudere: Reipublicæ præterea ſtatum convellere, ſæpius etiam ad fundum uſq; delere, his artibus nihil

ſanè

sanè neq; turpius, neq; inhonestius poterit esse quidquam. At verò quis rem inhonestam unquam laudavit, nec eam potiùs omni ignominia affecit? quis, siquidem ita res ab illis geritur, non rectè cum Euripide, Tyrannicum quiddam esse, multa scire dicere, sentiat? quis non verè cum Platone Rhetores ex omni liberâ Repub. excludendos judicet? quis deniq; Eloquentiam, tanti mali fomitem, non, ut diabolicum, inferorum voragini absorbendum propudium continuò abijciat ac diris devoveat? Bella scilicet hæc est pecorum istorum sapientia, furcâ profectò pianda, qui volentes videri saperdæ; efficiuntur Mævij, & Bavij; facientes (quemadmodum ait comicus) intelligendo, ut nihil intelligant. Etenim quæ loquentiæ, & sophisticæ sunt; affingunt illi falsò Eloquentiæ; quæ utraq; longâ intercapidine inter se distat. Quemadmodum enim multò, quod dici solet, aliter olent sues, aliter canes: ita infinita inter Sophisticam, & Eloquentiam est differentia. Sophistica enim omnis adulatur, iná; varias formas se transmutat. quemadmodum Camelopardalis sive Nabis, collo refert equum, pedibus & cruribus bovem, capite camelum, maculis Tigrim aut Pardum: ita, si Sophistæ cultum inspicias, sanctum aliquem esse existimes: si orationem audias, Satrapam loqui putes: si autem vitam expendas,

das, nebulonem invenies turpissimum, qui simulatâ & vulpinâ quadam sanctitate dulci verborum melle fel porrigit venenosissimum. Eloquentia verò, cum non nisi inventum Dei sit, nunquàm non grata Deo, & hominibus salutaria dicit. Sophistæ non nisi versutiam & dolos intendunt, quodq; honestis rationibus assequi non possunt, fraude aggrediuntur technisq;. Quid verò Eloquentia? nullas illa versutias, nullas fraudes, nulla vaframenta; sed solam sapientiam omni tempore, & ubiq; locorum adhibet: unde & copiosè loquens sapietia, tàm rectè quàm prudenter ab eloquentiæ principe Cicerone nominatur. Sophista denique non nisi proprijs commodis cuncta metitur. honorare videtur? qui de amore non venit honor, non honor sed adulatio est, inquit Bernhardus. adulari verò annon est seductoris? imò verò rabiosissimi catuli. sicut enim canes venatici heris accedentibus, pedibus levissimè assultant, caudâ abblandiuntur, ut escam ab illis obtineant: saturati autem non verentur morsibus in ipsum dominum insultare quàm impetuosissimis: sic adulatores & Sophistæ blanditijs, & composito orationis fuco, quasi clavum figunt in oculo illius, quo cum sermonem conferunt: aliter enim intelligunt se non impetraturos petita, nisi quasdam insidias auribus fecerint: si verò retrò spexeris subitò, deprehen-

das post te colla incurvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. Cœlestis verò isthæc Eloquentia, non ad propriarum faucium expletionem, sed ad communia vitæ humanæ commoda, non ad sui ventris saginam, sed ad salutem, & conservationem publicam, juxta leges honestas, omnia refert. unde meritò benè constitutæ civitatis alumna, & columna nuncupatur. Quanto ergò cælum distat à terrâ; tanto certè intervallo, divina hæc Eloquentiæ innocentia, à perversissimâ illâ adulandi & decipiendi calliditate Sophisticâ differt. Itaq; ut hi, qui eloquentiam colunt, divorum soboles, Apollinis proles, & Mercurij filij à Poëtis salutantur: ita ex hac Sophisticâ tanquam matre sunt prævaricatores, tergiversatores, calumniatores, & sycophantæ; ex hac cætera hujusmodi scelerate linguæ hominum nomina descendunt; hoc præditi homines (si modò homines nominandi sint) artificio, ne dicam veneficio; in civitates plerumq; conjurant, & seditiones movent; hac artificiosâ loquacitate alios decipiunt, alios mordent, alios cavillantur, blandiuntur alijs, ac in innocentes tyrannidem quandam sibi malitiosè usurpant. Quæ cum ita sint; tum verò quanta sit insania, quòd Cicero aut Demosthenes, aut id genus alij peccarint: quòd abusi

sint

sint suis aliquando donis: id Eloquentiæ expensum ferre, nemo est qui non videat. Cui enim mens tàm erit amens, ut contendat propter abusum, rem ipsam, ad amplissimos omnium hominum fructus aptam, esse expellendam? quæ verò tandem ars, quæ res, quæ facultas in vitâ humanâ tolerari possent? Annon quælibet nonnunquàm suis laborat incommodis? num propterea tollere, frangere, dissipare ista fas est? an quia multi inebriantur vino, cum Lycurgo incidendæ vites? nequaquam: sed potius, cum Galeno, admovendi fontes. sic etiamsi multi abutantur Eloquentiâ, non protinus, cum sciolis istis, abijcienda: sed, cum Plutarcho adhibenda est cautio, ut fiat salutaris. Execranda igitur ejusmodi Eloquentiæ detractorum malitia: contraq; firmiter statuendum, & honestam rem esse sapienter & benè dicendi facultatem, & omnem laborem, omnemq; operam, in assequendâ illius cognitione, insumendam esse. Verùm & hîc errore labi quosdam video, qui, cùm Eloquentiæ necessitatem non intelligant, non arbitrantur operæ precium fore, cur eam sibi magno studio parent: & laudari putant dicendi facultatem more vulgi, quemadmodum agyrtæ sua olea solent. Sed hi, ut dicebam, fructum Eloquentiæ non intelligunt, nec animadvertunt, sine cujus

rei cognitione nemo unquam docti viri nomen consecutus est, nec consequetur unquam: ejus discendæ necessitatem omnibus, ad veram & solidam eruditionem aspirantibus, omninò imponi. In artibus mechanicis nemo meretur nomen optimi artificis, nisi probè cognitis necessarijs, quæ ad suum officium tutandum valent. Gladiator tùm demùm proclamatur summus athleticæ peritiæ professor, cùm noverit omnes omnium armorum usus: & sic in reliquis omnibus sese res habet. Jam optimi & prudentissimi quiq; unâ voce testantur, neminem doctum dici posse, nisi qui teneat rationem & methodum, tùm ea, quibus rem ad dicendum propositam vel confirmet, vel reijciat, accuratè inveniendi: tùm quæ inventa sunt, ordine convenienti, & ad victoriam expedito collocandi: tùm deniq; ea ipsa, quæ reperta, & disposita sunt, optimis verbis, & lectissimis sententijs vestiendi. Tu Imperatorem illum verè imperatorem & ducem belli laudaveris, qui inconsultò nullaque ratione milites deligeret, nec in acie ad pugnam collectos rectè disponeret, nec armatos, sed inermes contra hostes educeret? pari modo docti viri nomen nemo tueri poterit, nisi qui omnes Eloquentiæ partes noverit: ut rectè M. Tullius dixerit, præclarè invenire, & aptè disponere prudentis.

tis quidem hominis: orationem verò variè figurare, & prudentis & docti esse viri. Sed veluti illa requiruntur, ut sciat accuratè excogitare: rectè enunciare: artificiosè disponere: & decenter figurare: sic vel maximè necessaria est docto viro ad suum nomen retinendum illa facultas, quâ possit omnia perspicuè dicere, & mediocria mediocriter, amplaq; magnico orationis ornatu tractare. Et quidem, ut, reliquis omissis, perspicuitatem solam hoc tempore in proscenium aucam, quis non videt, hanc summè necessariam erudito viro ad suam dignitatem conservandam? Cùm enim oratio sit character animi, & quasi index, commonstrans quid sapientiæ, quid eruditionis, quid mysterij in animo dicentis lateat: certè si obscura, si sordidis scatens vocabulis, si sententiarum involuta ænigmatibus, tanquam nodus Gordij, auditorum animis objiciatur; non modò fidem nullam faciet circumstanti concioni: sed nec ullam docti viri laudem in imperitæ multitudinis animis relinquet. Non igitur dicat Orator perspicuus, Crocodyli lacrumas in culinâ: nemo enim intelligit: sed utatur verbis tritis & quotidianis, utatur sermone proprio: utatur sententijs dè populi consuetudine sumtis; non ex Indiâ petitis: nec secùs ac polypus, personis & locis, temporibus, & caussis, diligenter seje ac-

commodabit. Quod si peregrinis sententijs, si antiquatis verbis, si barbaro orationis vestitu sermonem conspurcet, & deformet: nihilo, sanè, plus efficiet, quam in scenis mutæ solent personæ: quæ nunc quidem manus movent, nunc hastas vibrant, nunc lentè incedunt, nunc subsultim gradiuntur; cùm tamen nunquam (quod dici solet) aperiant os, & nil nisi risum spectanti theatro concitent. Doctum autem aliquem & mutum esse, valdè est absurdum & inconveniens, nec in ullâ laude positum. rationem verò habere, & oratione carere, parum admodùm differt à bruto. Quid enim tàm deesse cæteris animalibus, quàm intellectum & cogitationem quandam cernimus? Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere pullos, quin etiam reponere in hyemem alimenta, sono insuper, tanquam indicio quopiam, quasi velle mutuam inter se miscere loquelam; nonnullius rationis est, vel certè, ut Philosophi astruunt, rationis umbra: atqui quia carent sermone, quo ea quæ fortè sentiunt, exprimant, muta & irrationalia vocantur. Ac profectò, quid ipsa ratio nos juvaret, aut quàm manifesta in nobis esset: si, quæ concepissemus mente, promere loquendo non possemus? Cùm igitur esse aliqua lingua divinitùs nobis obtigerit: ecquis illi eloquij

quij perſpicuitatem non adjudicabit, ut mentis noſtræ cogitata certè & intelligenter queamus enunciare? & quoniam proprium hominis decus, &, ut Ariſtoteles loquitur, axioma eſt oratio perſpicua: multò magis erudito, & docto homini, ad decus illuſtrandum, & axioma ſuum magnâ cum laude conſervandum, neceſſaria erit, apertiſſimum & puriſſimum illud ſermonis decus, perſpicuitas. Quare, cum ſplendida illa rerum Domina Eloquentia, ſuo ambitu, ſuo amplexu, ſuo gremio hæc ſingula foveat: auſim exclamare: nihil docto & erudito viro tàm eſſe aptum, tam conveniens, tàm deniq; neceſſarium, ad ſuam dignitatem tutandam, quàm eloquij & ſermonis facundiàm. Sed oportunè hic occurſandum video importunæ quorundam temeritati, qui impudentiſſimè calumniari non erubeſcunt, Eloquentiam nihil eſſe aliud, quàm ventoſam quandam jactantiam: quæ veneficijs quaſi quibuſdam incantet homines, ut videantur ſibi tales, quales revera non ſunt. Eſt hoc maledictum hominum vaniſſimorum, & extremâ inſcitiâ laborantium, quibus meritò obtuſum cerebellulũ helleboro tantiſper purgaretur, donec ſuæ inſcitiæ jactantiam recognoſcerent. Etenim volentes nolentes mihi neceſſariò concedant oportet, illam facultatem, quæ docet res bonas, & generi humano

mano apprimè utiles, oppidoq; quàm necessarias, dictione explicare, non tanquàm γοητείαν quandam reijciendam, sed omninò esse discendam, doctoq; viro ad tuendum suum decus valdè necessariam. Annon vero Eloquentia est illa facultas? annon eloquentia monstrat methodum non minùs utilem, quàm necessariam, oratione tractandi doctrinã, de Deo T. O. M. uno in divinitate, & in personis trino? de lapsu hominis: de ejusdẽ per Christum restauratione: de justificatione coram Deo: de fide, Baptismo, & Cœnâ Domini: de salute, & vitâ æternâ? annon eadem docet rationem verborum splendore illuminandi summa illa de Justitia & Jure capita? de legibus divinis, & humanis: de mutuis hominum communicationibus, & contractibus? Annon Eloquentia ostendit artem verbis illustrandi abscondita naturæ mysteria: secretas lapidum & geminarum vires: abditas herbarum & florum virtutes? imo verò quæcunq; in cœlo continentur: quæcunq; pontus complectitur: quæcunq; vastissimus terrarum orbis, suo capacissimo gremio insinuat, & ut uno verbo dicam: quicquid tota hæc rerum universitas spaciosissimo suo includit amplexu: hæc omnia docet præclara dicendi facultas, dilucidâ, perspicuâ, ornatâ, vel amplâ oratione efferre, & incredibili sermonis suavitate condire

atq;

atq; exornare. Neq; enim sufficiunt ad conficiun dam dicendi facultatem tantùm celeres animi motus ad exornandum, amplificandum, & exaggerandum, atq; ad illustrandum: non facit eloquentem tantùm cognitio inventionis Rhetoricæ; cognitio dispositionis, elocutionis & actionis. desiperet, ita qui saperet. sed præter hæc requiritur maximarum facultatum; de divinis, Theologiæ; de humanis, Jurisprudentiæ; & de rebus naturalibus, cognitio Philosophiæ ac Medicinæ; unde res ad dicendum, tanquàm ex fontibus limpidissimis, abundè hauriantur. Itaq; meritò Aristoteles veteres Sophistas severè reprehendit, quòd relictis rebus, relicto probationis corpore, relicto toto orationis succo, solummodò quibusdam umbris, quas Philosophus φαντάσματα appellat, docendis inhærerent. Cicero verò rectè fundamentum ac basin eloquentiæ, statuit sapientiam; ac proinde eloquentiam quasi copiosè loquentem sapientiam definivit. Quamobrem ut hominis decus est ingenium: sic ingenij lumen rectè statuimus eloquentiam; eâq; nihil viro multifariâ scientiarum cognitione conspicuo magis ad suam eminentiam defendendam necessarium judicamus. Valeant ergò, qui nobis pro eloquentiâ ventosam quandam venditant jactantiam. nos ut odio habemus artem præstigiarum;

sic firmiter asserimus: facultatem, quæ res bonas, necessarias & utiles oratione tractare docet, non tantum in omnibus liberis Rebusp. retinendam, sed & à nobis omni animi contentione amplectendam & studiosissimè excolendam: quid dico excolendam? imò unicè suspiciendam, & in sanguinem ac succum, quod ajunt, omninò convertendam. Quid enim magis nos decet, qui in Musarum palæstris ad bonarum disciplinarum mercatum desudamus acquirendum, quàm earundem etiam decus & fructum consequi? quid magnificentius, quàm in certamen & arenam cum hæreticis, pro defendendâ nostrâ religione, intrepidè descendere? quid laudabilius, quàm posse firmis argumentis, ceu gladio quodam Alexandri, callidissimas illorum rhetoricationes dissolvere & dissipare? hæc verò eloquentia singula, expansis quasi manibus, cumulatim nobis largitur. hæc acuit ingenium: hæc eruditionem in varijs Academijs longo rerum usu acquisitam perficit: hæc quasi extrema manus est studiorum, renovans memoriam omnium quæ unquàm audivimus, accepimus, legimus. hac armatus, infestas ac venenatas hæreticorum sagittas fortiter retundet, ac discutiet: hac instructus iniquorum judicia non extimescet: hac stipatus audacter prodibit ad docendum etiam ex tempore: hac

deniq; ornatus, ad sacras conciones non solùm doctrinam, verùm etiàm actionem convenientem singulari cum delectatione afferet. Quæ universa cum nemo nostrum non studiosissimè affectet: quis eloquentiam tantæ bonitatis parentem, tantæ utilitatis nutricem, à se dispellat, eijciat, exterminet? Salve nobilis domina! quis dignus tuarum laudum buccinator ac tuba? salve illustris regina! cujus tanta vis, ut admirabiles tuas vires enarrare queat? Equidem si unius loci aut temporis esset, Auditores, posse res tantas, tamq; utiles dicendo efficere, minùs laborandum esset de eloquentia comparanda; cùm verò non in hanc vel illam vitæ conditionem, verùm in omnes & singulas ejus partes sese illius fructus diffuderint, non intelligo quid caussæ sit, quo minùs excoli, quò minùs summoperè diligi ac disci debeat. Quis enim ordo, quæ conditio, quod vitæ genus isto Dei dono unquam caruit aut carere potest longè pulcherrimo? num Ecclesia? nullo pacto. dies & charta me deficerent, si omnes & singulos illos ecclesiarum Doctores enumerarem, quibus ingens veræ & sapientis eloquentiæ copia fuerit. Nihil dico de Aarone; quem, cùm excellens orator esset, Moysi pro ore fuisse, quis non novit? non commemoro Davidem; cujus venustum carmen quem non de-

demulceat? taceo Salomonem; cujus copiosè loquens sapientia quem non tangit, & trahit? sileo Paulum; quem, si majestate, & excellentiâ orationis comparemus cum Demosthene, annon fatebimur, gravius & præclariùs de suo Evangelio, quàm Demosthenem de suâ lege loquutum fuisse? prætermitto Chrysostomum; cujus ex aureo ore verè aureum orationis flumen promanasse (quemadmodum Aristotelem aureum flumen fudisse dixit Tullius) quis Christianus non fatebitur? silentij velo involvo reliquos innumeros: Gregorium Nazianzenum, Basilium Magnum, Hieronymum, Cyprianum, quorum varietas dicendi & elegantia quem cum gentibus in stuporem non rapiet? Ad nostra me tempora convertо. quid? annon Ecclesiarum pulpita flagitare videtur viros eloquij dexteritate excellenter imbutos? sunt quidem hîc pulli immaturo nimis partu ad hunc ordinem exclusi; imò etiam veterani quidam Theologastri, qui, (dolendum verè) vix norunt unam sententiam rectè & ornatè proferre. sed degeneres isti Theologorum non considerant, studio puritatis linguæ recuperatam esse verā religionem: metuendumque ne hoc neglecto pristinam incurramus barbariem, quam necessariò sequuturam doctrinæ Evangelicæ defædationem vel cæco apparet. Manifestum

itaq;

itaq; est, ab ijs, qui Ecclesiarum Ministri esse aliquando desiderant, non modò postulari, verum efflagitari etiam, ut è Rhetorum officinis, & declamantium subsellijs benè culti prodeant. At quid de Scholis & Academijs, an sine Eloquentiâ illæ sibi constabunt? vix ac ne vix quidem. in scholis instruantur Ecclesiarum futuri pastores, qui, si fuerint ipsi barbarè informati, barbariem non absque dispendio plurimis affricabunt: in Academijs informentur oportet futuri rerum humanarum administratores: qui quomodò cum alijs communicabunt, ac contrahent, quomodò suo stabunt talo, si literas elegantiores non didicerint? quomodò conversabuntur, si res varias, voce, memoriâ, consilio, & ingenio nõ sustinuerint? Quid de te porrò Respub. dicam? nec tu sine Eloquentiæ vigore salva consistere potes. est enim pacis comes, est ocij socia, est benè constitutæ civitatis alumna & columna Eloquentia. an autẽ Legationes, quæ sæpè utiles sæpiùs etiam necessariæ sunt, quæq; ad Cæsares, Reges, Imperatores, Principes, habentur, aliquâ cum dignitate obiri, sustineri, perficiq; poterunt, si Eloquentiæ armis malè instructi fuerint, qui ablegantur? an hi suo munere aliquâ cum virtutis & innocentiæ famâ perfungentur, si ignorent aptè & illuminatè negocium proponere

nere? hoc intelligens Pyrrhus, Epirotarum Rex, Cyneam oratorem suum & legatum singulari est prosecutus elogio. fatebatur enim plures urbes per Cyneam oratione, quàm armis à se subactas. O insignem Eloquentiæ vim! ô immensas illius utilitates! tu Flexanima, & omnium rerum domitrix meritò salutaris! tu es potens in hominum animis concitandis, & affectibus movendis! Quis n. Auditores, perculit Græcos, ut pacem & bella susciperent, suscepta deponerent; ut fœdera cum Regibus jungerent? Demosthenes orator. Quis Lacedæmonios inflammavit, ut cum à Messenijs iterùm, atq; tertiò essent victi, pristinam fortitudinem recuperarent? Tirtæus orator. Quis Romanam plebem armis stipatam, quæ regibus exactis, nimiâ libertatis intemperantiâ ac luxuriâ diffluebat, in justum obœdientiæ gyrum reduxit? P. Valerius orator. Tu, facundia, aures penetras, tu oculos demulces, tu animos virilirer invadis: te, non secus ac gubernaculo naves, & equi capistro, homines gubernantur. Cur enim Verres reorum loco sedit? cur victus, profligatus, fractus Catilina? Pompejus imperio auctus? Clodius labefactatus? Antonius oppugnatus? annon quia tu Cicero eras orator? Admirabiles ergo Eloquentiæ effectus! quæ nunc attollit; mox deijcit: jam lætitiâ perfundit;

dit; jàm tristiciâ afficit: modò ad pacem incitat; modò ad bellum provocat: parva magna; magna parva reddit. quid multis? quocunq; se vertit, animos auditorum secùm trahit. Quomodò enim primùm genus humanum, in montibus ac sylvis dissipatum, sese oppidis mœnibusq; sepsit? prudentium credo consilijs compulsum & disertorum oratione delinitum. quomodò ad servitutem juris adstrictum? magnâ vi orandi, summaq; eloquentiæ facultate persuasum. Orpheus volucres, feras, sylvas atq; saxa cantu permovisse, à Poëtis perhibetur. quid autem aliud sub fabulæ hujus involucro vatum entheagens condiderat, nisi istius vi dicendi id impetratum, ut agrestes homines ad mansuetiorem vitam, & ad colendam virtutem traherentur? Hercules quoq; vetustiores Æthiopas, nec non Ægyptios asperos & incultos, ferinisq; carnibus, instar pecorum, vescentes, neq; moribus, neq; lege, neq; imperio utentes ullo, mitiores cultioresq; gravitate orationis suæ fecit. Sic ad Amphionis cantum lapides in muros Thebanos ultrò coijsse; fama est. Nestor autem, sapientissimus & eloquentissimus ille Pyli Rex, Agamemnonem, Regem Regum Ciceroni appellatum, nec non universum Græcorum exercitum suis consilijs & facundiâ rexit: ut mittam alios, quorum egregia

gia facinora, & mirandas eloquij vires, temporis nunc vetant angustiæ recensere.

Quamobrem, ut tandem vela orationis meæ contraham, ut portum aliquandò respiciam: cùm tanta sit eloquentiæ honestas, tanta dignitas, ejusque mirifica ad singula vitæ genera utilitas ac necessitas: quis eousq; stupidus, quis sibimetipsi tàm erit injurius, ut eam contemnat, nec potius summis viribus, omnibus nervis, totoq; studio huc unicè contendat, ut in amænissima dicendi facultatis vireta ingrediatur? Removeatur hinc errorum inanitas, in quos delapsa est vitio hominum divinas leges ignorantium: excidatur nimia illa, divinis præceptis severè interdicta, adulandi licentia: amputetur procacitas, & vitium illud teterrimum alios contumelijs & probris lacerandi: resecetur arrogantia, & inanis laudum appetitus: atque his tot tantisq; maculis deletis, continuò existet illa divina & cœlestis Christianæ eloquentiæ pulchritudo. Nos verò Auditores, cùm tanta Eloquentiæ sit gloria, tanta virtus, tantaq; potentia, meritò ad eam rem, omnem industriam, omnes cogitationes, omnem diligentiam dirigamus, ut tantæ bonitatis matrem, obvijs ulnis amplectamur: illius suavitatem degustemus: venustatem labellis arctissimè compactis deosculemur: sic

cum

cum Deo aliquando erimus in Ecclesiâ utiles; eloquentes in curiâ; consulti in dubijs; laudabiles in legationibus; in privatis congressibus affabiles; nobis ac nostris ornamento; patriæ præsidio ac munimento: & verò (quem eloquentiæ finem præcipuum divinus ille Plato constituit) gratum Deo obsequium præstabimus: cui, ut actionum cunctarum, ita & dictorum reddere olim rationem nos oportebit. DIXI.

ORATIO
De Passione Domini Nostri Jesu Christi.

Pronũciata est 23. Apr. Anno 1614. à Joanne Thorhegg-gen Lubecens.

QUanquam verè & perquam polchrè, Auditores, reverenda antiquitas voluit, ut semper publicis in congressibus aliqua ex parte Historia acerbissimæ passionis & mortis Domini nostri JESU CHRISTI proponeretur, & tractaretur: tamen, ne nos homunculi, qui adhuc in oblivionum terra (ut loquitur Spiritus Sanctus) versamur, memoriam acerbissimæ passionis & mortis Domini nostri JESU CHRISTI, quam ad redimendum ex Diaboli faucibus genus humanum, & ad placandam & delendam adversus id ipsum patris sui horrendam iram sponte suscepit, oblivione deleremus: sed potius causam

sem haberemus pro hisce tantis & tam magnis beneficijs gratias maximas & immortales agendi, utq; animi nostri ad hunc cultum quasi publicis ceremonijs inflammarentur: pia & laudabili consuetudine receptum est, hoc potissimum tempore acerbissimæ & inauditæ Passionis Domini nostri JESU CHRISTI peculiariter mentionem facere. Neq; hoc frustra, sed magnæ & ingentes nos ad piam illius considerationem impellunt causæ. Si enim Israelitæ in memoriam liberationis ex servitute Ægyptiaca solemnem & anniversariam, Pascha suum tanta cum festivitate & plausu celebrarunt: quantò magis nos memoriam hujus mortis filij DEI conservare decet? Illa enim fuit memoria liberationis ex servitute Ægyptiaca, qua corpora tantum laboribus, opere & manu perficiendis, affligebantur: nostrum autem Pascha fit recordatione liberationis, per Christum factæ ex regno Diaboli & morte æterna. Sunt quidem multa alia & immensa erga nos DEI beneficia: creatio rerum ex nihilo: hominis ad imaginem Dei formatio: perpetua pulcherrimi ordinis in natura, legum, disciplinæ, & omnium creatarum rerum conservatio: quæ certè nisi tam magna esse fateamur, ut ea nullius hominis mens & cogitatio complecti possit, amentes simus. tamen quod summus ille Jova hoc modo & non aliter

voluit

voluit redimi genus humanum in peccatum & mortem lapsum, nisi ut unigenitus filius ipsius, assumta carne humana, victima fieret pro peccatis hominum, & sua passione & morte sufficientissimum λύτρον patri persolveret, iram ejus horrendam placaret, & amissam justitiam, & vitam æternam generi humano restitueret: hoc inquam, hoc beneficium multò majus est, imò immensum & imperscrutabile est, & longè omnium creaturarum tum Angelorum, tum hominum captum superat & excedit. Etenim, ut vetus ille Ecclesiæ doctor, D. Ambrosius, plus tibi inquit, ô Domine JESU CHRISTE debeo, quod redemtus sum, quam quod creatus. quid enim creari profuisset, si redemtus non essem? Si igitur Ecclesia perpetuo hunc morem servavit; meritò & nos eum in hisce congressibus nostris, pietatis & eruditionis causâ institutis, servamus atq; retinemus. Pauculaigitur de PASSIONE Domini nostri JESU CHRISTI dicam: de qua re ego, fateri enim cogor, alios multò libentius disserentes audirem, quàm ut ipse, qui in Theologiæ foro infans sum, dicerem: materiæ enim gravitas quanta sit quis non videt? quis hujus mysterij magnitudinem ignorat? quæ tanta est, ut ego animo eam non assequi, multo minus verbis exprimere possim. sed tamen his opposita alia video: ipsum man-

datum Dei opt maximi, qui severè & suo id jure à nobis postulat, ut singuli tanta beneficia grati agnoscamus atq; prædicemus. Agnosco quoq; æquanimitatem Dei, cui & balbutiens infantum, gloriam ipsius commemorantium, lingua placet. Huc vestra æquitas, vester, Auditores, candor accedit, qui me potius dicere quàm tacere jubet. His igitur fretus, quod felix & faustum sit, in instituto pergam, & quantum sit Dei pro nobis morientis beneficium conabor non ostendere, sed delineare & adumbrare. Quod ut rectè fiat fructuoseq;, Deum oro. Vos autem rogo, ut me humaniter audiatis. Neminem adeò dementem, adeò insanum esse, mihi persuadeo, qui non videat Passionem Domini nostri JESU CHRISTI esse arduam & magnam. Si enim caussa est magna; rem ipsam & magnam esse necesse est. Jam caussæ acerbissimæ hujus mortis sunt magnæ, sunt multæ, sunt infinitæ, quæ vix enumerari possunt. Considerate enim & ponite vobis ante oculos hominem peccatorem, & Deum homini peccatori atrocissimas pœnas & ipsam mortem minantem: dicetis profectò caussas esse magnas. cogitate Dei judicium, & quæ in eo post lapsum evenerunt: tum id, quod volumus nitidius effulgebit. Hominem ad imaginem suam creatum summus ille Jova, qui metitur pugillo aquas, cœlum palmâ ponderat,

derat, terræ molem tribus appendit digitis, ut loquitur Vates, tanto honore affecerat, ut ei non solum dominium in omnia animalia tam aquatilia, quam terrestria concederet, sed amœnissimum fertilissimumq; Paradisum, quem Moses in regione Eden fuisse ait, inhabitandum daret: & quod mirandum, familiariter cum ipso versaretur, dulcissimumq; cum ipso colloquium institueret. O summam DEI bonitatem! O ineffabilem clementiam & benignitatem! qui hominem ex pulvere factum ita ornavit, ut cum ipso tanquam cum amico vellet vivere! Sed quomodo hoc tantum beneficium apud hominem positum fuit? Adamo evenit, Auditores, quod dici solet: tum demum nostra intelligimus bona; cum ea, quæ in potestate habuimus, amisimus. Adam cum conjuge suâ, licet summâ & perfectissimâ sapientiâ, & alijs egregijs & excellentibus virtutibus præditus, & quasi circumseptus, tamen nescio quo oestro præcitus divinitatem sitiebat, & affectabat: voluit esse sicut Elohim, à veritate præstigijs & fallacijs serpentis deductus. sed hic pruritus, qui ante dulcissimus erat, mutatus est mox in fel acerbissimum & amaritudine plenum. Nam ne vix quidem devorarant istum fructum protoplastæ; ecce continuo vident se esse nudos, se esse ista sapientia, prudentia & alijs virtutibus omnibus

privatos & spoliatos: unde mox texunt subligacula ex fici foliis, quibus sua tegant pudenda. O quam miserrimi hi facti sunt DII! ó tu stulta superbia quid efficis? ubi dominatum in animos hominum tenes! in quas calamitates tum homines proijcis! Homines hi ex sapientissimis facti sunt insipientissimi, ex filijs DEI filij & mancipia diaboli: qui imagine DEI erant præditi, mox teterrimam Cacadæmonis larvam assumsêre: qui erant habitatio Spiritus Sancti, mox fiunt fœda Diaboli & fœtida cloaca: qui fuêre justitia & pietate vestiti; mox planè sunt nudi & tam injustitiâ & impietate, quàm alijs vitiis immersi. & ut tribus verbis dicã, in tantas angustias, in tanta pericula, in tot anxietates homines morsu pomi pervenêre, ut ingens terra ipsos amplius ferre non posset. nemo n. erat, quẽ homo consuleret, quomodo ex hisce angustijs posset in integrum restitui: sed omnes ipsi adversabantur, etiam ipsæ creaturæ. cœlum & terra accusabant ipsius inobedientiam: Angeli ipsius stoliditatem: Diaboli impietatem. hinc miserrimi homines in jus vocabantur: mensæ & subsellia parabantur. erat ibi judex severissimus, cujus facies ardebat præ furore erga homines: erant ibi consiliarij, à dextris Dei veritas, Dei justitia, Dei sanctitas, Dei misericordia: à sinistris stabat Accusator,

tor, qui summo & stricto jure agebat. ipsi autem homines ferreis catenis trahebantur & ducebantur ad justum tribunal. Mox Sathanas adversus ipsos accusationem instituit, non quidem ita, ut quondam Jobum accusavit: sed multò gravius. Sic enim allocutus Jovam: justissime, inquit, judex, qui non es verus tantum, sed ipsa veritas, qui non es sanctus tantum, sed ipsa sanctitas: tu semel homini hanc legem proposuisti, quicunq; comederit de ligno vetito, morte morietur. jam homo legem istam violavit. ergo sume de ipso supplicium, detrude ipsum ex luce in tenebras, ex lætitiâ in tristitiam, ex gloria in ignominiam, ex vita in mortem, ex gratia in iram atq; gehennæ orcum: sicut olim me pœna coercuisti gravissima: nec committe, ut homo, qui scelerate egit, impunè evadat. Hæc erat Diaboli accusatio. mox summi Dei consiliarij accesserunt. Dei veritas dixit: verum est, dixit hoc Deus, ergò transgressores debitâ pœnâ puniantur necesse est. DEI justitia dixit: maledictus homo, quia non permansit in sermonibus legis. DEI sanctitas dixit: Peccatores abeant, Deus enim illos odit. nulla enim communio sanctitatis cum perversitate. Videtis jam & probè perspicitis, Auditores, in quas calamitates miserrimi homines fuerint detrusi? Summum Deum graviter imò

imò graviſſimè offenderant. hic voluit placari non auro & argento, non ſanguine hircorum aut taurorum: ſed ſanguine hominis, non quidem peccatoris, ſed juſti Sancti, qui ſimul & Deus & homo eſſet, O Bone Deus, quàm dura hæc ſententia! quam fuit homo conſilij inops! & pereundum ipſi fuiſſet, niſi Filius Dei, qui eſt ſplendor æterni Patris, hoc conſilium protuliſſet, ſe velle in temporis plenitudine caput Stygij Draconis conterere, homines ſuo ſanguine redimere, & patri ſuo reconciliatos in priſtinam gratiam reducere & reſtituere. Hæc ergò eſt cauſa princeps, cur pati & mori voluerit Filius DEI: quæ, adeò magna, ut major excogitari & dici non poſſit. ingens igitur & magna & inaudita Paſſio. Neq; hoc ſolum: ſed ſubjectum ſi conſideremus, & ipſum magnum eſt. An non fuit magna & inaudita Paſſio, cujus impetum corpore ſuo ſancto, quod infinitis vulneribus conciſum fuit, excepit? quam in nervis ſuſtinuit, in quibus ſenſit lacerationes: quam in corde? in quo fuit ingens cruciatus, ortus ex metu illius lacerationis & mortis: quam in anima? in qua ſenſit in ſe effuſam totam molem totius iræ divinæ adverſus genus humanum. O magnitudinem plagarum, nulla dicendi vi exprimendam! Cain cũ unius tantum peccati aculeos ſentiret: in tantas tamen anguſtias redactus

ctus est, ut ejulans conquereretur, sua peccata majora esse, quàm ut remitti sibi possint. Saul angore conscientiæ cruciatus suo gladio incubuit. Achitophel scelerum furijs raptus suspendio quæsiuit remedium. Judas tædis sceleratæ proditionis ardentibus exagitatus sepensilem fecit. Nec desunt illustria exempla alia. Nero scribitur in tantam venisse animi perturbationem ex metu malæ conscientiæ, ac si coram videret omnes illos quos trucidari jusserat, qui manibus eum veluti comprehenderent, ne ulterius aufugere liceret. Quid commemorem Franciscum Spiram? qui ob Apostasiam sibi malè conscius affirmabat, se existimare, non esse acerbiores & virulentiores dolores in inferno, quàm quos ipse sustineret: itaque cupere se abrumpere vitam, ut omninò hac de re certus redderetur. Quod si unius aut paucorum delictorum agnitio ita horribiliter conscientiam excruciat macerat, torquet: cogitemus, Auditores, quanta atrocitas fuerit virulentissimorum cruciatuum in Christo? qui non unius vel hominis, vel civitatis, vel regionis: sed totius mundi peccatorum reum sese fecerat. Fingite quæso, qui in omnium principum totius mundi offensam incurrerit; quanto æstu putabimus ejus cor fervere & ferri? At hic, cujus in se effusam iram sensit Christus, non quidem Cæsar est Romanus aut

alius quidam Rex, sed est summus ille & omnipotens DEUS, ignis ille consumens. Hic ipsum propter nos & propter nostra delicta percussit, hic tam miserè tamq; horrendis modis Filium afflixit, ut vermi similis factus sit. Itaq; mirum non est, si Christus in peccatis nostris laboravit: si ita multos, tam varios, tàm magnos & horribiles sustinuit cruciatus. In horto horret futuram mortem: sudat sanguinem: à Judâ osculo proditur & traditur: à Judæorum militibus tanquam latro aut maleficus capitur, ligatur & abducitur: à discipulis turpissimè deseritur. ad Pontificem Hannam, ad Caipham, ad Herodem ludibrij causa trahitur: ibique exagitatur, vexatur, huc atque illuc rapitur. apud Pilatum seditionis & blasphemiæ accusatur: ad palum deligati sanctissimum corpus virgis crudeliter laniatur: caput spinis coronatur, pugnis immaniter contunditur, ipse in faciem conspuitur. ita mulctatus Judæis sanguinarijs cũ hoc præconio Ecce Homo sistitur: hisq; in crucem eum flagitantibus, idque cum clamore, præ nimia rabie, ingeminantibus, licet crimine omni à Pilato liberatus esset, tandem tamen ad furcam condemnatur. Ad supplicium profectus lignum grande fert humeris: populum ac mulieres, propria mala ignorantes, aliena deplorantes, tùm reprehendit, tùm de pœnis subsecuturis.

turis, deq; ira Dei adversus peccata severè commonet. In loco calvariæ ferreis clavis cruci nudus affigitur: medius inter duos latrones cum summa deformitate pendet. In trabe pro interfectoribus suis rogat: titulum seditiosi capiti suo imponi patitur: vestes in prædam militibus concedi videt: fel & acetum gustat: cum clamore valido excedit. O magnitudinem teterrimi supplicij, quod Filio Dei irrogatum est à Judæis! Itanè verò vos Abrahamidas decebat, tàm indignis modis tractare eum, qui vos maximis ac divinis cumulaverat beneficijs? vestrumnè erat, Regem gloriæ interficere? O crudeles! ô tyrannos! pudeat vos in æternum tanti tamq; atrocissimi sceleris! itanè vos vestros soletis beare amicos? itanè gratias agebatis ei, qui vobis viam ad salutem æternam commonstrabat: qui vos sæpius tanquam gallina voluit congregare? hunccine verò oportebat tàm immaniter accipere? quem vos debebatis summo honore afficere: hunc tanta ignominia decebat? miror, Auditores, & obstupesco, quoties cogito, summum Jovam id potuisse perpeti. olim Ierobeam percutiens virum Prophetam lepra percussus est: at hunc Filium suum & quidem filium unigenitum permittit ac tradit Deus impietati Judæorum totum divexandum. Verum, quid indignor Judæis? cur illis hoc exprobro, cujus

nos rei sumus omnes? Nos, enim Auditores, nos nostris peccatis vendidimus Filium Dei, ut servum; irrisimus, ut stultum; conspuimus, ut insanum; flagellavimus, ut furem; cruci affiximus, ut latronem; occidimus, ut maleficum: nos nostris sceleribus in tot cruciatus sanctissimum Christi Domini corpus egimus. Fuerunt, ergo, Auditores, fuerunt hæc ipsa, quæ Christus in sanctissimo suo corpore passus est, gravissima: sed idem anima sua sanctissima longè majora & graviora perpessus est: quæ quidem una voce complexus est vates Esaias: laboravit, inquit, ipsius anima. O rem in omni cœlo & terra stupendam! sensisse animam Christi filij Dei judicium patris irascentis peccatis nostris, luctatamque esse cum tentatione abjectionis? Quid ergo est, ô Manichæi, vos enim appello, quid est, quod Christum non verè sed simulatè passum esse nugamini? ó verborum magistri, fabularum fabricatores, fraudum architecti! Nonne autem furorem vestrum labefactant testimonia veteris instrumēti tum expressa, tùm Isaaci immolatio omniaque sacrificia quæ fuerunt mortis filij Dei typus? Jam volvite, si lubet, & pervolvite actum passionis, & ut vestrum commentum refutet; agnoscite. Corpus Christi copioso stillat sanguine, ipse Christus manibus post terga revinctis constringitur: per varia tribuna-

bunalia raptatur: facies ipsi tunditur: in os inspuitur; velo oculi ligantur: caput spinis pungitur: humeris lignum ipse portat; manus ipsi & pedes perforantur: sitiens aceto potatur: emittit Spiritum magno cum clamore: lancea latus confoditur, & tandem sepelitur; quorum nihil fieri potuisset, si phantasma, non verum corpus humanum Christus assumsisset. tangere enim aut tangi, nisi corpus, nulla potest res. De vobis autem Jesuitæ, de vobis tam polchellis pueris quid dicam? vos negatis Christum in anima sua sensisse pœnam infernalem & iram Dei? sed ideo Christum fuisse tristem affirmatis, quia mentem solum in extrema tormenta defixerit? quid de vobis dicam? hoc dico: totum illud vestrum figmentum esse & putidum & vanum. Christus enim se à DEO derelictum queritur: quod nihil aliud est, quàm quod queritur, se verè sensisse iram Dei. Sic Esaias inquit: Deus voluit ipsum cõterere: quæ percussio fuisset simulata, nisi Christus verè sensisset iram Dei in peccatis. peccata enim iram Dei trahunt, ceu Cæcias nubes. Non est autem percussus filius Dei propter peccata sua, quæ non habuit: sed, ut Divus Augustinus ait, propter nostra delicta, quæ sua fecit. Ac profectò, si Christus pro nobis factus est maledictum, id quod factũ eum Apostolus Paulus confirmat: judicio

quoq; Dei factus fuit obnoxius. verè igitur & Christus iram Dei sensit: verè expertus est paulisper, dum sacrificium pro mundo perficeret, pœnam, quam damnati experiuntur. Nec tamen, quemadmodum Cain aut Judas aut alij impœnitentes, sic Christus quoque hanc, quam diximus, pœnam subijt. Illi enim desperarunt salutem, atq; ideò sunt simpliciter damnati. At Christus ad tempus sensit iram Dei in sua sancta anima; idq; non solum absq; ulla inordinatione, sed etiam certa cum fiducia liberationis ex angustia. sunt enim verba illa, Deus Deus mi, verba veræ fiduciæ, non desperationis. Aliquantulū autē sensit tantum pœnas infernales Christus ideo, tum quia voluntariè factus est peccatum, tum quia est Deus & homo: cujus & persona est infinita, & infinita dignitas, & infinitum λύτρον. quare sufficiebat Christum, ad reconciliationem nostri cum DEO, ira Dei aliquandiu exerceri. Cum ergo tanta sit magnitudo cruciatuum quos sensit filius Dei: magnum quoq; esse necesse est hoc, quod nostra causa fecit & sustinuit. Postquam autem Christus, ut paulò ante diximus, inclinato capite tradiderat patri Spiritum: ejusmodi prodigia hanc mortem subsecuta sunt, quæ & ipsa revera omnem humanum captum excedunt, nec in ullius, nisi in Dei hominis morte, accidere potuerunt

runt. Sol tempore plenilunij obscuratur: velum templi scinditur: terra contremit & mugit: saxa franguntur, rupes dissiliunt: mortui in vitam redeunt: centurio convertitur: ex latere Christi mortui perfosso aqua & sanguis fluunt. O res stupendas & omni admiratione majores! sed longè majus est Auditores illud: quod filius Dei non propter se, sed propter nos & nostram salutem durissimam hanc conditionem in se suscepit, inq; ipsum mortis barathrum propter nos se demisit. hac enim obedientia suâ cœlesti patri Christus nos reconciliavit: hac nos in pristinam gratiam restituit: hac nos è Diaboli vinculis exemit: hâc nos à legis maledictione liberavit. Ille, ille factus est peccatum & execratio, ut nos in ipso essemus justitia & benedictio: ille vulneratus est, ut nostra sanaret vulnera: ille damnatus, ut nos salvos faceret: ille mortis vincula subijt, ut nos per fidem in ipso viveremus: ille voluit velari, ut nostros aperiret oculos: conspurcari voluit, ut nos à diaboli sputo mundaret: contemni voluit, ut nobis esset gloria: percuti voluit, ut nos sanaret. O mysterium ineffabile! peccat iniquus, punitur justus: delinquit reus, vapulat innocens: offendit impius, damnatur pius; quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat servus, exolvit dominus; quod committit homo, hoc sustinet

stinet Deus. Accede igitur, ô homo, & hoc mysterium adora: accede & hunc JESUM contemplare, in quem Deus incurrere fecit tua peccata, quem servire fecit in tuis peccatis: quem laborare voluit in iniquitatibus tuis: qui vulneratus est propter prævaricationes tuas, & attritus propter tuas iniquitates; hunc, inquam, aspice: ad hunc confuge. mea & tua peccata ipsius capiti spineam coronam impresserunt: mea & tua peccata Christum cruci affixerunt: ad hunc ergo properemus: huic gratias agamus. ille enim à legis maledictione nos liberavit: ille nobis Deum reddidit propitium & placatum, ut jam non peregrini, sed heredes & coheredes Christi facti simus: ille insidias & potestatem diaboli in nos disturbavit: ille per suam mortem abolevit eum, qui mortis habebat imperium; ille fecit, ut cum gentium Apostolo possimus exclamare: ubi est inferne victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Christum Jesum Dominum nostrum! Atq; hæc sunt, Auditores, quæ de Domini nostri Jesu Christi Passione, in medium afferre hoc tempore volui, non quidem ita, ut vos speraſtis; sed tamen, ut ego pro mearum virium ratione de illa ardua atq; amplissima materia dicere potui. O immensam passionis, Filij Dei magnitudinem!

nem! o infinitum pondus! cogitate, Auditores, cogitate, non dico Paulum gladio percussum, Petrum patibulo affixum, Stephanum lapidibus obrutum, excoriatum Bartholomæum, Laurentium in crat assatum; non dico singulorum martyrum singulos cruciatus, sed omnium simul omnes afflictiones, exquisitissima supplicia, pœnas intolerabiles: cogitate hæc, & uno obtutu aspicite & videte: videte inquam, si usquam est major, & gravior patiendi causa, quàm in Christo: si majores cruciatus, quàm in Christo: si est dolor, sicut dolor ejus: si est pœna, sicut pœna ejus: si est supplicium, sicut λύτρον ejus: si est passionis denique fructus, sicut passionis Filij Dei.

Tibi, ô JESU dulcissime, gratias tantas, quantas mentis nostræ angustia capere potest, maximas agimus, quod victima & λύτρον pro nobis fieri voluisti. Te ardentibus votis, te supplices oramus, ut nos famulos tuos, quos precioso tuo sanguine mercatus es, clementer regas, conserves & tuearis; ut in miserrimo hujus vitæ pelago, ita hanc navem vitæ nostræ gubernemus, ut tandem, te duce, in portum vitæ æternæ cælestem, læti triumphantesque deducamur, ibique tecum in omnem æternitatem vivamus. DIXI.

DE Studio Concordiæ.

Pronunciata est 30. Apr. Anno 1614. ab Henrico Prenger Rostoch.

QUod à Deo optimo max. omnes homines ardentibus votis precantur; ut sibi in pace quietam liceat agere vitam: id nos, qui in his ad Balthicum Varnum locis vivimus, divinitus consecutos esse hactenus, meritò grato animo agnoscimus, & in his congressibus nostris grata quoq; voce prædicamus. Est enim hoc DEI præpotentis in nos promeritũ tantum, tamq; augustum, ut, qui illud grato animo non agnoscit, is omnem rationem exuisse, & ab humanitate ad bestias migrasse, certò putandus sit. Negari quidem non potest; vulgus hominum ita comparatum esse, ut fortuitò vel fato quodam omnia ferri: aut, qui inter eos meliores sunt, prudentiâ, consilijs, labore, & solis virorum clarissimorum clavumque reipubl. tenentium vigilijs, effici arbitrentur, quod pacatè vivimus, quod unusquisq; functiones muneris sui, nulla vi hostili, aut dissensione quadam intestina impeditus, faciat; quod tenera ac imperita juventus, tàm in divinis, quàm in rebus ad vitæ commoditatem necessarijs, rectè instituì possit; quod reliqua omnia, quæ pacis opera sunt, universa civitas lubens obeat, atq; sustineat. Sed hi ipsi quantis erro-

ribus

ribus infecti delirent, res ipsa testatur: ut castigatione quadam politica digni videantur, qui eos errare non animadverterint. Quare nostrum nominisq; nostri est, ut tantum, tamq; excellens ex mera æterni Dei bonitate haustum beneficium & gratis animis amplectamur, & in his congressibus nostris grata voce & mente celebremus. In cujus tantæ rei meditationem, ut me ipsum & alios, pacis tranquillitatisq; amantes, excitarem: de Concordiæ studio, apud vos, Auditores, dicere aliquid constitui. Quod dum facio, humanitatem vestram, ut me exiguo temporis spacio hac de re tenuiter dicentem benevolè ac amice audiat, obnixè rogo.

Si est, Auditores, in pretio habenda res, cui præstantiæ observantiæq; laudem testes omni exceptione majores conferunt: non dubitans affirmare ausim, Concordiam, quam & sacrosancta scriptura, & hæc universitas rerum luculentissimè commendant, continere in se omnia, quæ ad summum decus dignitatemq; summā pertinent. Vultis ejus rei expressa testimonia? Deus, inquit Johannes Evangelista & Apostolus, Deus dilectio est: qui manet in dilectione, in Deo manet. & iterum: amemus nos invicem, quia charitas in Deo est. Hæc Divus ille Johannes; cui organum Dei electum Paulus adstipulatur, cum Galatis scribens, sanctè asseverat, fructum spiritus

esse charitatem. Quid his testibus ad asserendum? Concordiæ ortum clarius? quid certius? quid majus? quis verò his constrictus non statuat, quemadmodum Diabolus est fons omnium perturbationum in vita & dissensionum: sic Spiritum Sanctum mutui concordiæq; inter homines consensus, bonorumq;, quæ inde fluunt, si quæ sunt in hac societate Politica, esse autorem atq; caussam? Quo de ipso ut dubitemus, nulla caussa est: cum & ipsa natura illud quod dico, apertissimè demonstret. Aspicite enim, Auditores, universum hoc theatrum naturæ rerum, & quàm mirificus, quàm admirandus, quàm stupendus hîc sit superiorum cum inferioribus rebus consensus, quamq; inaudita earum inter se conjunctio sit, videbitis. Intuemini sublimia illa corpora cœlestia: prò Deum, quanta est eorum miris anfractibus sibi mutuò cedentium, concordia! Primum mobile ab ortu in occasum rapitur. Sphæra nona ab occasu in ortum fertur. Sphæra octava motu trepidationis à septentrione in meridiem circumagitur. Stellæ erraticæ, affixæ suis orbibus, vario ac dissimili motu mirabiliter circumferuntur; nunc progrediuntur, nunc retrocedunt, nunc aliquandiu delitescunt, post aperiunt se rursus; nunc antecedunt Solem, nunc consequuntur; nunc incitantur, post vicissim cursum inhibent:

modò

modò à Solis itinere in Austrum; modò in Boream excurrunt. & tamen universa hæc corporum cœlestium, motuumq; horum varietas, cum tanta sit; tanta fit cum harmonia, tantoq; inter ipsos obsequio, ut & anni tempora vicissitudinesq; horarum nobis definiant, concentumq; longè suavissimum, longeq; jucundissimum, si Pythagoræ credimus, efficiant. Par est, Auditores, concordia, eadem est consensio inferiorum inter se corporum; quam, agite, oculis animoq; perlustremus. primò Elementorum inter se tanta est conjunctio, ut se nequaquam destruant, sed, quasi sororio nexu copulata, suscipiant atq; amplectantur: ita, ut serè unum sine adminiculo alterius consistere nequeat. Quid dicam de aliarum rerum Physicarum mutuo amore? inter magnetem & ferrum, oleam & vitem, inter delphinum & hominem, inter balænam & musculum (piscem exiguum) quanta est consensio? Magnes semper ferrum, ut vitæ suæ sustentaculum, secum ducere cupit: vitis cum olea, veluti cũ marito degere avet: delphinus hominum favorem desiderat; balæna musculum comitem ductoremq; sibi exoptat. Ferarum verò unius cujusq; generis an non inter se concordia permagna est? nec enim lupus devorat lupum, nec serpens serpentem: leonum feritas inter se non dimicat: sævis inter se con-

convenit ursis. Quod si his relictis, ad ea, quæ quasi ante pedes sunt, nos convertamus: quis non videt, quanta sit herbarum metallorumq; cum partibus corporis nostri conjunctio? quis nostrum non est aliquando expertus, alias herbas aliaq; metalla opitulari cordi, alia pectori, alia hepati, alia splenι, alia ventriculo? Sed quis hæc omnia enumerare poterit? quæ tam varia sunt, ut etiam disertissimum delassare valeant. Quis autem hîc non videt: concordiam habere ipsum Deum autorem? & quis eam rem esse divinissimam sanctissimeq; colendam negabit? Quod si in feris bestijs pares cum paribus facillimè congregantur: quantò magis homo conjunctionem hominum & societatem, cumq; ijs concordiam colet? Tali enim conditione est homo, ut aliter facere neq; possit nec debeat. An non enim idcirco appellatur Homo quasi ὁμῶς; ut hac appellatione ad amorem concordiæ invitetur? Illud verò quis neget; omnes homines esse æquales; tum qua ortum; tum qua beneficium & creationis, & redemtionis, & sanctificationis; tum qua res externas? Deus enim omnes homines cum Adamo è terra fecit: omnes homines per Adamum peccatis polluti æternæq; mortis rei facti sunt: Christus autem, unicus æterni patris filius, omnes homines peccati mole obrutos, illumq; fide amplexantes,

tes, ab omnibus peccatis, & horribilißimo æternarum pœnarum cruciatu redemit: redemtosq; ad ſocietatem Eccleſiæ vocat. Idem eſt omnibus hominibus baptiſma, eadem fides, idem Deus. Neq; homo homine, quo ad externa membra, diſtat: nec Deus homines inæquales hîc eſſe voluit: omnes erecto corpore, omnes vultu ad cœlum ſublato incedimus: omnes rationis participes ſumus: omnes eodem cœlo, eodem aëre utimur fruimur. Quæ cum ita ſint, quis dubitabit, Auditores, nobis, etiam ipſa ratione dictante, imponi neceſſitatem id agendi, ut unum in una charitate ſimus, concordiæq; in omnibus vitæ partibus ſtudeamus? Sed & Deus nobis Concordiæ culturam ſeveriſſimè mandavit. Audi mediatorem & redemtorem noſtrũ Jeſum Chriſtum. quid, inquies, ille? ille inquam, ita: mandatum novum, inquit, do vobis, ut vos invicem diligatis. & rurſus; hæc mando vobis, ut diligatis vos invicem. Audi vas illud Dei Paulum: obſecro vos, inquit ille, per Dn. noſtrum Jeſum Chriſtum, ut ſitis concordes. O magnitudinem mandati! ó rem ipſam admirandam! mandat Chriſtus: obſecrat Paulus. quid ille mandat? quid hic obſecrat? ille ut nos inter nos diligamus, mandat: hic, ut concordes ſimus, obſecrat. ó magnitudinem mandati! ô rem ipſam mirandam! Quis tibi, ſan-

Etiſſi

ctissime gentium Doctor; quis tibi per Dn. nostrum Jesum Christum obsecranti, non obtemperaret? quis tibi, Rex Regum, Jesu Christe, non obœdiret? Est enim auditores; est, inquam, Auditores, perhonorificum, nos tam blandè, tamq; amicè invitanti Apostolo, obtemperare: est, Auditores, perquam religiosum, nos Christo obœdire; à quo non solum habemus quod sumus, sed etiam ut benè nobis sit: est, Auditores, perquam necessarium, nos ei Domino morem gerere, qui in nos habet jus vitæ & necis; quiq; eorum, qui mandanti adversantur, corpus & animam occidere potest. Quare & Deo concordiam præcipienti, religiosissimè obtemperare nos oportet. Ac profectò, homini legitima & justa præcipienti nihil recusamus: nos summi rectoris & domini, de concordia colenda, imperio non obtemperabimus? Neq; verò tantum necessaria est concordia: sed & res est, omni favo dulcior, rosis amœnior, omni jucunditate jucundior. Nec enim eam concordiam hîc prædicamus, Auditores, quæ est latronum, aut furum, aut id genus maleficijs insignitorum hominum: sed eam efferimus Concordiam, quæ versatur circa eundem in unum bonum consensum: atque hunc consensum rem esse suavissimam jucundissimamq; confirmamus. hic enim consensus conscientiam

tiam facit tranquillam: hic consensus cor hominis pacatum reddit: hic consensus mentem hominis ad idem cum Deo bonum amandum amplectendumq; evehit & erigit: quo quidem ipso, nihil potest esse jucundius; nihil in rebus humanis suavius. Non fingimus hæc, Auditores, neq; hæc comminiscimur. Tranquilla conscientia, inquit Rex sapientissimus, est juge convivium. O laudem conscientiæ brevem quidem, sed insignem! Quis nostrum, Auditores, optione data, non mallet regio cum apparatu instructo convivio; quale Assueri regis fuisse perhibetur; & sobrio tamen, ubi omnia suavissimis & planè divinis concentibus & colloquijs personarent, interesse potius, quàm tetricus domi in sordibus considere, atq; ibi fortiter esurire? Et quis suaviorem etiam quovis tali regio convivio pacatam non affirmaret conscientiam? Testantur id exempla omnium temporum, eorum, quibus mens fuit tranquilla: testantur id illi, quos furiæ, non tædis ardentibus, sed angore conscientiæ excruciaverunt: testatur id universalis omnium rectè judicantium consensus. Cum ergò consensio in idem bonum humani cordi tantos fructos afferat, quibus nihil potest suavius cogitari: nemo, ut mea fert sententia, Concordiam rem divinissimam negabit, eamq; colendam esse diffitebitur. Quod facere tanto

inhumanius esse duco, Auditores, quantò clarius constat, virtutes illas ex quibus concordia quasi extruitur, humanitatem, dico, & patientiam, & mansuetudinem, & æqualitatem, res esse suavissimas. Ad constituendam enim atq; colendam Concordiam requiritur; & ut de nobis ipsis modestè sentiamus, quod est humilitatis; & ut communes hominum nævos & quasi labeculas sustineamus; id quod est patientiæ: & ut Iracundiam cupiditatemq; moderemur; quod est mansuetudinis: deniq;, ut veris injurijs affecti, aliquid de summo jure remittamus: id quod est æquitatis. His autem rebus nihil suavius este potest. Efficiunt enim hæ virtutes harmonicam quandā inter homines æqualitatē; qua nihil est jucundius. quemadmodū in fidibus ex temperata nervorum dissonantia efficitur concentus dulcissimus: sic in tota vita suavissimam animorum in idem bonum consensionem efficiunt illa quatuor, quæ paulò ante enumeravimus. Quam suavis fuit Abrahami & Lothi conversatio; cum Abraham, etsi ætate, sapientia, virtute, auctoritate excellebat, tamen Lotho cederet? quam jucunda fuit Apostolorum & in Christum credentium consensio, qui omnia inter se communia habebant? quanta ipsi suavitate perfundi nos sentimus, cum ista legimus vel audimus? Quis verò

nostrum

nostrum non afficitur, cum discit ab historicis, Atheniensis, ut concordiam patriæ conservarent, reliquis Græcis de imperio contendentibus cessisse; & se, quocunq; loco futuri essent, præliaturos, sicut fortes & bonos viros decet, affirmasse? aut ubi Nestoris & Ulyssis ad reipubl. salutem directam conjunctionem prædicari & commendari audit? Orem præclaram Concordiam! quam verè tibi illud Regij Prophetæ accinere possumus?

Nil caritate mutua fratrum, nihil
Jucundius Concordia;
Non aura suavis balsami, cum funditur
Aronis in sacrum caput.
Et imbre læto proluens barbam & sinus
Limbum pererrat aureum:
Non ros tenella gemmulis argenteis
Pingens Sionis gramina,
Aut verna dulci inebrians uligine
Hermonis intonsi juga.

O Concordiam rem præclaram! Nec enim solum delectat concordia: sed admirandam quoq; utilitatis magnitudinem in se continet. Quicquid in omnibus vitæ partibus adhuc boni est; id, ubi à Deo discesserimus, soli concordiæ acceptum referendum est. Hinc est scholarum; hinc est doctrinæ in ipsis conservatio. nisi enim in docenda juventute; nisi in eruenda disciplinarum veritate, plurimorum docentium operæ quasi conspirent: nunquam vera salutarisq; docendi

juventutem ratio; nunquam artium bonarum veritas retinebitur. Ubi autem docentium animi inter se conjuncti, idem in erudienda juventute sentiunt, idem volunt, idem spectant: ibi & juventus benè feliciterq; educabitur, & liberales disciplinæ rectè tradentur. Itaq; & Basilius verè dixit: Non tàm opus esse sinistræ dextra, quàm concordia sit docentibus. Conducite huc, Auditores, omnes Academias, omnesq; scholas, quæcunque fuerint; reperietis, concordibus docentibus eas floruisse. at docentium consensu turbato; odia & altercationes dominari, & scholas Ecclesiasq; dissipari necesse est. Declaravit id quondam temeritas Arij, qui odio Alexandri Episcopi blasphemias suas contra Filium Dei eructavit: quo igne non solum Ecclesia horribiliter arsit, sed imperium etiam orientis inflammatũ occidit. Rogemus itaq; ardentibus votis Deum, ut ipse inter doctores in scholis & ecclesijs concordiam clementissimè accendat, &, quæ est ipsius infinita misericordia, benignissimè conservet. Quid porrò dicam de illo fructu; quod ex Concordia omnis benè beatèq; in rebus publicis vivendi ratio fluit? Est enim Concordia veluti anima Reipubl.; & omnis felicitatis quasi quædam condaproma. Hæc virtus si à Magistratibus diligenter exerceatur, exercita civi-

civibus liberaliter commendetur, commendataq; ab incolis verè excolatur; fieri nequit; quin omnia in civitate tuta & tranquilla floreant. hac vigente Magistratus munus suum piè prudenterq; obibit: subditi Magistratus æquo imperio morem gerent, unanimesq; vitam transigent: nullæ inter illos erunt injuriæ, nullæ dissensiones; nulla odia, bella nulla. Ex quo & hoc efficietur, ut facultates civium augeantur: res omnes, tàm publicæ quàm privatæ, conserventur: fulciantur opes etiam exiguæ: atq;, ut aliquando finiam, urbs ipsa præsidijs certissimis sit munita; quibus & inobedientes coërceat, & vim propulset externam. Nec enim ullus hostis tantis instructus copijs veniet, quibus ejusmodi urbem evertet, etiamsi muris ex lapidibus constructis careat. intellexit id Agesilaus, qui à quodam percontatus; quam ob causam Sparta mœnibus non cingeretur, ostendit cives, armatos & unanimes: hæc sunt (inquiens) Spartanæ civitatis mœnia: significans, respubl. nullo præsidio alio tutiores esse, quàm virtute civium consentientium. intellexit id Scilurus, qui octoginta liberos masculos habens, cum esset moriturus, fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitq; rumpere. id cum singuli recusassent, eò quod videretur fieri non posse: ipse singula jacula exemit, atq; ita facile confregit

omnia; filios admonens his verbis: si concordes eritis, validi invictiq; manebitis: contrà, si dissidijs & seditione distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. optimè certè hic Scilurus filijs suis Concordæ vim atq; facultatem ob oculos posuit, nec ulla ratione id melius fieri potuisset. Et hoc est, quod Homerus ait;

Συμβέρτη δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.
Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.

Cumq; hæc, Auditores, sint eximia Concordiæ opera, tum longè majora sunt, quæ nunc sequuntur. In ejusmodi enim republica ubi cives concordes unanimesq; vivunt; liberi in timore Dei educantur; & in sacris literis ingenuisq; artibus erudiuntur; hiq; adulti, Deo servient, & Reipublicæ emolumento erũt. Quid? quod Deus præsens semper illi reipublicæ adest, ubi sancta excubat concordia. Hujus Reipub. Magistratum Spiritu S. suo ipse Deus regit; hujus subditos universos ipse in vera Filij agnitione retinet: hanc custodit: hujus hostes tàm internos quam externos perdet. adest Deus hujus reipublicæ templis; adest scholis; adest consilijs: adest ei in queiscunq; congressibus: & (uno ut verbo dicam) in omnibus suis partibus talis respublica benedictionis divinæ vestigia impressa ubertim sentiet: omniaq; sibi ex voto feliciter succedere cognoscet. Quod si fortè quis Bellonæ

lonæ furijs agitatus hos tantos concordiæ fructus non agnoscat: is in Discordiam, si potest, mentis oculos infigat, & quantum illa malorum in Republ., in quam semel invasit, pariat, mihi perpendat. Discordia enim æstuante fit, ut Magistratus nec munere suo rectè fungatur, nec populo imperare sciat. hæc subditis parendi mentem eripit; hæc omnium malorum est causa. Unde enim est in urbe, ut, quod unus in ea ædificat, id alter mox diruat? à discordia: Unde est, ut, quod hic affirmat, alter prorsus neget? ut alter alterum oppugnet? à discordia. Discordia obstaculo est, quò minus rectè educetur juventus. discordia classicum canit imbecilli & teneræ ætati vivendi prolibitu, & præcipitandi se in omnes nequitias. discordia facit, ut tali juventute adultâ ista civitas reddatur pessima & sceleribus pollutissima, quam & Deus & sani homines execrentur. ô discordia, ó portentum teterrimum! ex te sunt illa perpetua in rebus publ. odia: ex te sunt perpetuæ inter eos, qui præsunt & parent, rixæ & altercationes: ex te sunt perniciosissima illa bella civilia, quæ rempublicam antea optima politia ornatam funditus perdunt. Tu facis, ut ab illa urbe, in qua tu flagras, Deus faciem suam avertat; ut in illam omnis generis infortunia & ærumnas Deus effundat; ut consiliis salu-

ta-

lutaribus eam Deus privet; arma ipsi eripiat; mœnia diruat; ut hostes formidolosos in eam excitet, quibus universam civitatem det prædam. quid multis? nihil in illa Urbe tutum, nihil validum erit; sed omnis generis miseriæ eam supervenient, in qua tu discordia imperium tenes. Hoc significare voluit Homerus, Auditores, cum in clypeo Achillis duas urbes sculpsit, quarum altera pacis studia coleret, altera obsidione pressa, nec nuptijs ritè celebrandis, nec judiciis, nec studiis vacare poterat: sed omnia ibi erant perturbata, omnia vi & dolo peragebantur. idq; etiam exempla comprobant. Græcis ad Trojam sedentibus exitiosa multarumque turbarum causa fuit dissensio Agamemnonis & Achillis. Principum Romanorum discordia Turcarum tyrannidi ansam præbuit. plurimæ & magnæ Urbes in Europa intestinis dissidiis & olim periere, & hodiè pereunt. quàm pernitiosa autem sit reipublicæ senatoria dissensio, testatur Aristides: dixit enim vir ille optimus de se & Themistocle, cum inter ipsos de civili administratione parum conveniret: rempublicam Athenienſium nunquam incolumem futuram, nisi utroque ipsorum in mare deturbato. Quæ omnia tàm concordiæ commoda, quàm discordiæ incommoda Dionysius quidam elegantissimè hoc simili comprehendit: quemadmodum (inquiens)

quiens) sese res habet in corporibus; sano enim utilis est magnitudo, carniumq; copia; ægroto autem & malè affecto, periculosissimus talis est habitus, & acutissimum periculum adducit. Similiter autem & navis; quæ si cum concordia gubernatoris & nautarum naviget, & ipsa salvatur, salvatq; pariter vectores: si verò minus, quantò plura fuerint vela, tantò majus periculum est. id ipsum etiam fit circa currum: siquidem auriga rectè imperare sciat, & equi consentiant, dictoq; sint audientes, spes est, in certamine talem currum victorem evadere, in bello autem salvari; præsente verò seditione turbationeq;, tantò majus periculum est; quantò equi sunt fortiores atq; velociores. Simili ferè modò & concordi civitati talia sunt, abundantia pecuniarum, atq; hominum multitudo, & honores, & gloria, & potentia: si non concordet, inutilia erunt omnia & gravia; non secus ac si in eodem loco multæ versentur feræ, aut pecora, uno inclusa septo; quæ se mutuo cornibus invadant & conculcent, evertantq;. Recensui, Auditores, fructus, qui ex concordia in vitam civilem profluunt: cujus pars cum sit Oeconomia, non est dubitandum; quin & ipsi salutaris sit concordia. Sine hac enim nec Vir, nec Uxor officium suum, in administranda & gubernanda domo, facere possunt. Quis enim relictus erit œconomicis partibus rectè obeundis

locus, ubi marito domi sæviente, omniaque pedibus proculcante, uxor per posticum fugere cogitur? Uxor mihi est, dixit Leo; obæsus & prægrandi corpore sophista Bizantinus; me multò obæsior: & tamen concordes unus capit lectulus; discordes ne tota quidem domus. Sed quas Concordia non solum in conjugio, verum & in reliquis vitæ partibus utilitates pariat, nullius Eloquentiæ vis recensere potest. Quare cum concordia res tàm ampla, tàm necessaria, tàm honesta sit: cum concordia prosit & Ecclesiæ, & in ea docentibus: cum Scholæ hac sine virtute florere non possint: cum nullæ Respublicæ absq; ea tutæ esse queant: cum deniq; nulla domus sine concordia stare possit: amemus, Auditores, Concordiam, studeamus conjunctioni animorum mutuæ, foveamus sanctissimum in idem bonum consensum.

Te, Deus omnipotens, per Dn. nostrum Jesum Christum rogamus: tu Spiritus tui Sancti gratia hominum corda uni & connecte: tu Academiarum & Scholarum doctores concordes inter se serva: tu omnes omnium Rerum publicarum & Magistratus & cives pacifica tua aura perfunde, rege, & guberna: tu omnes homines flecte, ut concordiam inter se colant, utq; omnia ad tuam unius gloriam, ad communem salutem, ad pacem publicam conjunctissimis animis studiosissimè promptissimeq; referant. DIXI.

ORA-

DE
Prima a maritie, & ultima literarum dulcedine.

Pronũciata est 17. Sept. anno 1680. à Jano Boehmane Boruſſo.

SI qui hominum operarum ſuarum fructum jure quôdam percipere & poſſunt & debent; illos ipſos, qui ingenij ſui fœtus, præclaros ſcriptionum faſciculos ediderunt, meritiſſimè induſtriæ ſuæ fructum capere decet, quò, ut virtuti laus debetur, ſic hi gloriæ & honorum encomijs tollantur juxta ac inclareſcant. Quid enim putas moviſſe divina illa ingenia ad intrandum illa edita doctrinâ ſapientum templa ſerena? nihil diverſum; quàm prodeſſe hebeti alioquin & parum perſpicaci humanitati; quippe quòd illis notum eſſet, ut, qui ſpinas habet in pedibus, ubiq; ſpinas calcat; perinde ſterili ingenio noſtro accidere, cui absq; ductû materia omnis difficilis eſt. Uti ergò juſtiſſimè hæc virtutis lumina ſua gloria manet; ſic inter claros non poſtremus omni jure Iſocrates, ſapientiæ pater ille, aureis ſcriptis ſuis, orationis ſplendore, ac ſententiarum gravitate micantibus, quid non meruiſſet? Miretur quis Homeri ſcriptoris magni poëticos fœtus, ſuſpiciat alius antiquitatis alium ſcriptorem; vix ſapientiæ ocello

nostro Isocrati aliquem anteponendum evicerit. Atque uti apiculæ suâ sponte ad conquirendum succûs feruntur, quos hinc inde humano usui utiliter colligunt: sic Isocrates ex innumeris rebus, quæ ad honestatem & utilitatem vitæ mortalis facere videbantur, conquisivit ista, quorum utilitas immensa, sapientia admiranda, jocunditas amanda, expetenda cuivis videatur. Quæ cum aliquando ego etiam introspiciens librarem, inter sexcenta utilissima, saluberrima sapientissimaq; ejus mihi visa vox, quâ Disciplinarum radices amaras, fructûs verò dulces asserere non dubitavit. Illud profundissimæ sapientiæ eximium dictum, exili exilis ego Orator oratione persequar, atq; ita persequar, ut; si modò benignitas vestra & judicij æquitas me balbutientem sublevârint, dixisse videar mihi salutaria, vobis grata, laudi quæq; sint tanto antiquæ, id est veræ sapientiæ, administratori. Quod ut clarissimi mei, Nobiliss. & Doctiss. Auditores, æquiter faciatis, quâ possum observantiâ à quâlicunq; vestrûm enixim contendo. Ut itaq; veritas maxumè menti convenit: sic quid hóc verius scriptum Isocratis dicit, vestrûm quis, Auditores, evincet? Et esto quis fortasse, cujus mentem inflexerit perversa illa judicij præcipitantia; nos quod ante promissum; evictum proponemus. Atq; ut à primâ

primâ discentium Pueritiâ molli illâ & tenera orationis nostræ initium procedat, quantæ hîc quàm variæ radicum illarum acerbitates, quàm altè earum semina hîc vivere incipiunt & gliscunt! Magistro enim traditus ætatis imbecillis, trepidæ & summissæ puellus, primò quidem hypotrimmatis, saccaró, crustulis, alijsq; dulcacidis demulcetur, ut amaritiem primam radicum non percipiat, sed vincat; sed vix aliquot dierum illa ἰλάρεια, vertuntur, & in fletûs & lacrimas vergunt; quod quàm facilè, quàm properanter contingat, quis dubitet, quis quærat? Ecce enim, imperiosa, terribilis vox, morosa, iracunda frons Magistri, quêi puello primam disciplinarum amaritudinem non ostenderet? Atq; quod Platonem quodã in loco scriptum reliquisse commemini, Pædagogos olim servos fuisse, id tum præsertim certum elucet, quando puer domum deducendus committitur illi, & erudiendus venit. Videas ibi servilia ingenia Pædagogorum, in pulsando præsertim & corripiendo. Notum cuivis, puellorum naturam calidiorem multò nostrâ, sedentariæ vitæ minus capacem, discursionibus, nunc hûc, nunc illûc naturaliter exerceri; quod videns nec ferens bardus aliquis pædotriba, aut imprudens Ortilius, quàm graviter intonat! quàm in tenellum discipulorum latus, baculum, ne dicam

fustem sæpius incutit, ut insanum dubites, an furiosum plagiarium vocites. Neq; ut Gorgias copiam cuilibet se interrogandi dabat, & placidè, se interrogantibus responsionem largiebatur, pædagogis in more; sed (nisi hesperus aliquis, aut Veneris fortè sidus exortum illis) à verbis ad verbera, à colloquutione ad confusionem cum pueris prolabuntur, & omni posthabitâ ratione ætatis, ingenI, indolisq; illorum, quidvis audent; hîc acerbitas illa denuò, hîc disciplinarum nativa amaritudo! quâ fracti multi, aut frigidius Musis vacant, aut planè literis multam salutem dicunt. Atq; cum prima ferè ætas in his molestijs absumatur; tum verò graviora multò & ærumnosiora, quæ sequuntur. Non enim satis est intendisse ingenium abecedarium in Latinæ rudimenta Linguæ flexionum & conjugationum; plures adversitates devorandæ ad doctrinæ culmen adscensuris, in addiscendis utriusq; linguæ firmiter fundamentis. Quod in fabulis Asinus conqueritur, se cottidianis operis suis confici prorsus & enecari; id non abs re rectius possent ij, qui ad discendum solidi aliquid animum adjiciunt & intendunt. Si enim æquiter rem libres, & omnes difficultates utriusq; sermonis colligas; asininô majorem multò laborem execrabere. Tot namq; inexplicabiles intricatæq; difficultates primâ fronte inspicien-

cientibus linguas sese offerunt; ut dubitationes illæ & hæsitationes ambiguæ cũ lacrumis à discentibus aspiciantur jurè, & diris devoveantur. Atq; uti suavis est laborum præteritorum memoria: sic amarior cogitatio futurorum. Molares effoderes potiùs, qui puer tantùm laborum subis & molestiarum; quas tu vigilando, meditando, legendo, fingendo licet tuleris; si vel tantillum pecces, corij virgis conscriptio subsequatur. O radices radices, quàm hîc amaræ! in schola; quàm multò domi acerbiores, sub difficillimâ Pædotribæ censurâ! Devorandas adhuc crederem, quæ in triviali pulvere, molestias, & dicerem ideò, quòd artium & linguarum cognitio utilissima cunctis, necessaria quibusvis doctrinis, & infeliciter ad altiora contendant illarum cognitione leniter & leviter tincti; quòd & insipienter velit is, qui sine difficultatibus polera expetit. Sed hei Pædagogum! is Magistrorum objurgationes, jurgia, lites, & acerbitates literarum excedit, & acerbiores reddit suâ sponte. Dum enim cottidiè scamnis affixum vult puerum, vix toleranda, vix ferenda molitur, illô rejectô,

quod caret alternâ requie, durabile non est,

pro lubitû lusui interdicit; quô vis œstrô percitus jentare vetat; merendam eripit; silentium ut Pythagoras alter imponit; modestiæ & civilitatis durissimis legibus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0155
DFG

gibus sancitis, ad parentes injuriâ sæpè filios defert: Bellerophontis literis instructos ad ludum remittit, hoc unum spectans tantùm, ægrè facere discipulis, & agere prò lubitû quod lubet. O radices quàm acerbæ! si, quòd maxumum est, styli formandi ordinem quoq; spectemus & processum. Ut vana habentur, de Sysiphô quæ in fabulis prodita, movente ingens infirmâ manû adversus montem saxum; hîc, si rem spectes, non vana, si difficultatum immanitatem, quæ circa styli exercitamenta æquâ lance perpendas; verissima. Ciceronis tot volumina (horrendum quantus labor!) volvenda ei & cum fructû volvenda; Comici sermonis venustas ejus sit oportet; VirgilI, HoratI, SallustI, LivI, aliorum libros nocturnâ diurnâque manu versetis, qui ad Latini sermonis elegantem suavitatem adspirat! quod, quot temporis opus, quot laborum? Neq; hoc sufficit; plura gerenda bella ei cum Grammaticis erratis, plures disceptationes, plures dubitationes cum barbarè dictis, ambiguè scriptis, sinistrè intellectis; hîc hîc radicum amaritudo tanta, ut si bellum decennale Trojanum, sumtuum tot & virorum millia absumens, tantis laboribus non constitisse dicam, verò dissonum nil protulerim. Hîc sapientissimè Isocrates verum dixti, hîc amaræ studiorum radices! quod sapissimè cognórunt, & cottidiè etiam-

etiamnum percipiunt ij, qui delicatuli, impares tantis oneribus, fustibus insuper & flagris deterriti in infimis cuneis subsidunt. De Logices aliarumvè artium tricis si dicere vellem, quid aliud vobis Auditores quàm diem commonstrarem? Sunt enim in illis tantæ dissentientium altercationes, tantæ litium confusiones, ut meritò Euripides, nihil non in utramque partem quâvis in arte defendi posse, adseruerit, O amaritudo non detestanda, sed deploranda: non fugienda, sed deflenda, non rejicienda, sed reputanda; quæ

quot, frutices sylvæ, quot flavas Tibris arenas,
millia quot Martis gramina campus habet,

totiens affligit, & fermè supprimit suos sectatores! Atq; uti meridie ipsâ Solis splendor maxumè illustris; sic amaror ille magis est amaror, si ex trivialî pulvere productos intueamur in Academicâ vitâ. Hominum fidem! quàm in illis maxumarum acerbitatum myriades: quantæ adversitatum copiæ & multitudines! adeò ut academicorum vita invicem ita se habeat atq; catenæ circuli, qui mutuo complexû herentes se invicem sequuntur: sic in illâ continui dolores & amaritudines. Ac Studiosis creandis quot primum perferendæ molestiæ? patiuntur illi; quæ nemo Cynicorum olim aut patientiam profitentium unquam potuisset. Inspice enim quæsò, & initian-

dum contemplare! Videbis ibi misellum humi extensum immotumq; jacere, denati instar aut sepulti, vivum ceu mortuum haberi, hominem ut bestiam tractari, pulsari insuper & acerrimè pulsari: videbis crura, brachia, latera, lumbos, totumq; corpus fabrilibus instrumentis, runcinâ, serrâ, securî, bipennî, limâ ad amussim præparari, ut dubites trabemné an hominem extruendæ domui aptari videas. Hîc pro cibo verbera, hîc pro potû lacrumæ, ut πανύπερον δεῖμα timor passis alis miserum occupet totum & fermè consumat. En tibi amaritudinem Radicum, en studiorum amarorem! Quem auget post tragœdiam illam primæ initiationis major incommoditas, quæ à rerum necessariarum inopiâ venit & defectû. Ingressus difficilis ad Musarum adyta; difficilior cohabitatio. Credis ἀπὸ ἐυθείας ψυχῆς; Noverca est disciplinæ Egestas, egestas inquam, quâ qui premitur, queî possit operari admiranda, in literariâ præsertim hâc Charybdi? Ut adverso flumine natantibus labor maximus, cum mortis periculis superandus; sic verè ijs, qui expetunt Musæum hoc culmen. Vide mihi pauperem, ingenI divitis & divini; paupertas ipsi onus visum & miserum & grave, vetat studijs vacare & Musis. Queî enim illi, quibus res angusta domi, ad Parnassum Musarum columen facile adscende-

rent;

rent; cum in medio studiorum stadio non subsistant tantùm, sed & emergere non queant; firmô istô & immotô,

Haut facilè emergunt quorum virtutibus obstat
Reges angusta domi.

Ita aliàs miseris istis, amaritudo illa quoq; degustanda, atq; ita degustanda, ut medium dum defugiunt iter stabili nunquam tramite currant. Sed & gallinæ albæ filijs, delicatulis illis, non diversum accidit, licet diverso modo. Hi quippe ex scholâ primò progressi, naturâ ad voluptates feruntur, & veluti venti navem correptam, hûc illùc ferentes quassant & inobedientem efficiunt suo gubernatori: itidem animam eorum agitans, & menti immorigeram esse cogens intemperantia, tranquillam esse, & in tranquillo ac tutissimô ceu portû quiescere non permittit. Ut enim stabulis inclusi vituli, emissi pòst petulciunt: ita juventus ista, quibus panis (quod dicitur) in ore natus, adeò voluptatibus se immergit, ut ijs in consuetudinem adducta carere non tantùm non queat; sed & ubi liberior concessa vivendi potestas, ferociat, & quidquid libet, licere etiam sibi deputet. E contrariò ex auró compositum nacti ingenium, genium non rarò defraudant: hos pudor à turpitudine, reverentia legum à vitijs, ratio à furore revocat. Sed hoc quàm acerbè! Licet enim indurandus sit animus, & à blandimen-

tis voluptatum procul abstrahendus: tamen, quod Seneca ait, militandum: quod non facilè accidit; sed militiæ quâdam genere, quò nunquam quies, nunquam otium detur, tentandum id, & cum dolore conficiendum. Quod ubi animus persentiscit, ægrè tantum duellum aggreditur, si præsertim pericula intolerabia, vigilias immensas, meditationes innumerabiles perpendat, inspiciat, examinet, quæ in studijs exanclandæ sibi adhuc & suscipiendæ: si voluptatum item illecebras, luxuriæ blanditias sobrietati & industriæ conferat; si dispiciat, quid in Physicis, Ethicis, Geometricis, suæ diligentiæ requiratur; si contrà, quàm jucundum luxuriei se dedere & quàm facile sit, sibi imaginetur. O quàm hîc acerbum invigilare studijs, & voluptatem desciscere! ó quàm grave ad lychnum meditari, in multamq; noctem Vino Veneriq; indulgentium consortia evitare! ó quam difficile studijs tantùm tribuere, ut ea propter & cibi & potus, somni & valetudinis jactura levis censeatur; præsertim si exemplis etiam deterreantur eorum, qui, Musis seipsos cum vitâ devoventes, sub mediâ industriæ & laborum mole succubuerunt; id quod Theagi apud Platonem evenisse certum est: qui Philosophiæ indefessò adherens, sapientiam investigando in mediô cursû (dolendum hoc!) interijt. O

quàm

quàm hîc amarus amaror! ô quàm ingratus! ut etiam licet quis

— medijs tranquillus in undis

videatur; non abs re tamen labascere queat. Quas amarities, multùm satis acerbas, Vulgi judicium magis exacerbat, quô vacantes ingenuis studijs otiari tantùm, & vitam vivere delicatam vanè opinantur. Quid, inquiunt, nobis cum otiatoribus illis? vivant, an his terra dehiscat perinde est; quid enim illis otiô carius esse unquam potuit? An non quilibet nostrûm compertum habet, poculis illos tantùm non Musis, vitris non libris occupatos! sedere, otiari, stertere, discurrere, si studium; quin agmine factô omnes eo imus? Hei! si quæ amaritudo; hæc est. quæ ferenda tamen & superanda ductore & adjutore illô, qui morbos hos infligit & sanat, decenter, ut filios magni illius DEI. Quis jam inter vos Auditores, qui non verâ magnâq; voce mecum & cum Isocrate, Radices studiorum amaras, fateatur & exclamet? Tacere vos video, & annuere tacendo, verum dixisse Sapientiæ patrem, & nimis verum. Quærere quoq; quempiam, ni fallor, vestrum audio: si tot sub magistrô acerbitates discenti devorandæ; si tot sub pædagogi jugo; si tot in initiatione academicâ: si tot inopiâ rerum omnium vexatis, si tot abundantibus quoq; rebus omnibus; si tot ab injustô popellô lacessitis molestiæ

stiæ: quem tandem si in istarum considerationem deveniat, studijs incumbentem habebimus? Non immeritò ita quæsitum: quòd insuavis admodum istarum rerum gustus: sed Animorum Aesculapius noster curare voluit hunc morbum, alterâ illâ parte: Fructus disciplinarum, inquiens, verò dulces. Namq; ut difficilia quæ polcra: sic acerbitates illæ innumeræ, quæ incipientibus juxtâ ac jam in studijs progressis officiunt, in fructus acerbitatibus decuplo pretiosiores vertuntur. Et ut bonum est cujus gratia cætera fiunt: sic & acerbitates illæ haut malæ, ex quibus promanant tanti fructus! Illud enim mihi credito, per illas radicum amaritudines ad maximarum rerum adyta ductum te & perductum. Quod veram DEI omnipotentis trini & uni nactus cognitionem, inde nactus: quod animum ad obediendum DEO regas, quod voluntatem, ad benefaciendum proxumo flectas, exinde; quòd è præcordiorum penetrali altam illam mentem venerâre, secundum Deum illi amaritudini acceptum refer. Ecce fructûs studiorum dulces; ecce nunc extinctam omnem amaritudinem! ut jam cum gaudiô, immó triumphô quôdam illud Poetæ: olim hoc meminisse juvabit: recordari queas & iterare. Quod namq; hic, Ecclesiæ DEI minister, verbum de EO puriter tradit; quod alius politijs cum fructû præst, magi-

magistratum sustinendo, maria, terras, bella, pacem moderatur, à Radicibus illis promanavit. quod Oeconomiam alter filo quódam & intelligentiæ ductû regit; ab acerbitate istâ totùm descendit; quòd sicut Socrates vigilando & disputando indefatigabilis erat: itidem illi, omnes assiduitate molestias, industriâ labores, & si quæ circa literarum disciplinas sunt incommoditates, superarint. O fructûs studiorum quàm dulces! ô quàm sudorum & anteactorum laborum sufficientes compensatores! Unde enim divitiarum & auri tanti acervi nisi θεοῦ διδόντος & à vobis? unde qui ad honorum fastigia evecti, nisi per vos surrexerunt? ô fructus! cuilibet per maria, per saxa, per ignes expetendi! Venite; & cuivis, vos omni studio quærenti, æviternum nomen, immortalem famam, immortalem gloriam comparate! erigite illum ad istud honorum culmen, quó tanquam numen aliquod inter homines is sedeat, & cum gaudiô radicum primam amaritudinem conversam glorietur in læticiæ favos & perfectissimam dulcedinem! Quis jam Isocratis divinissimum; Radices disciplinarum amaræ; fructûs verò dulces; non ut verum defendat, ut expetendum sectetur, ut consequendum imitetur? Quod ut meritissimè debet, ita certò fiet, si in eâ statione in quâ à DEO *collocati sumus, non*

tan-

tantum quisq; maneat; sed & omni animi contentione eò se vertat, quò ad fructuum illorum beatitudinem & perpetuitatem quandoque adsurgat, & inertiam atq; desidiam æque atque orci portas fugiat, vitet, declinet. Uti enim nulli præcluſa virtus, sed omnibus patet, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges & exules, non eligit domum nec censum, nudo homine contenta est: sic quicunque ad illam per angusta augustam indefesso contendet; certò illô coronabitur, quô cum honore, gloriâ & triumphô, in quâlibet coronâ laudatorum, cum laude & omnium superabundantiâ æviternùm præluſtris sit futurus. DIXI.

X. DELIBERATIO REHABEAMI,

decem dissertatiunculis comprehensa, & in duos quasi actus divisa.

PRIORIS ACTUS DELIBERATIONIS REHABEAMI

ORATIO I.

Continens Propositionem rei deliberandæ, sub persona Regis.

Pronũciata est à Joachimo Custerio 6. Sept. Anno 1611.

ETsi clementissimi Patris mei, Viri, quem Jehova præ cæteris mortalibus, quotquot sunt, singulari sapientiæ divinitate exornaverat, obitum vehementer doleo; desideriumq; tanti herôis admo-

admodum graviter fero: quia tamen ei, qui cœlum & terram fecit, in cujus manibus sunt dies nostri, præpotenti Deo sic placuit: displicere idipsum nobis nec potest nec debet. sed multò magis Jehovæ Regi regum gratias agimus, quantas mente concipere possumus, maximas, quod nos in hoc sanctissimum atque amplissimum regnum succedere voluerit. In cujus exordio cùm multa alia, tùm hoc præcipuè animum nostrum in diversa trahit; quod Jerobeam, nomine populi Israelitici in comitijs, Sichemæ, inaugurandi Regis gratia, nuper institutis, protulit atq; proposuit: petere nempè populum, sibi onera, à divo patre nostro imposita, mitigari atq; levari: nec enim posse populum antè subjectionis sacramento se nobis obligare, quàm illud jugum allevatum esset. Dura nobis hæc tum, ut meministis, visa fuerunt; omninoq; talia, ad quæ extempore nihil responderemus; memores, nihil consilijs bonis tàm obesse, quàm vel præcipitantiam vel celeritatem. Itaq; & populum in diem tertium rejecimus. Qui cum jam præ foribus sit; vos seniores consiliarios convocandos duxi: ut quid huic populo respondendum sit, collatis sententijs ex vobis discam. Est quidem negotium grave & res periculi plena: quam nisi maturo consilio rexerimus, metuendum erit nobis, nescio à quo malo. Sed in ve-

stra prudentia permultum nobis est spei: in fide plurimum rei; in benevolentia erga nos & favore, omnia. Quare mei, agite, ut quem Divo parenti nostro vivo animum semper exhibuistis; eundem & nos hoc tam formidoloso tempore experiamur. Consulite in medium, & quid quisq; sentiatis, libere dicite. nihil nobis accidere poterit gratius: nostramque benevolentiam vobis omnibus & singulis regiè pollicemur.

ORATIO II.

Consiliarij Seniores primi.

pronũciata est à Jacobo Clepelio Neobrand.

NOs quoq;, Domine, morte divi Parentis vestri gravissimè perculsos nos sentimus omnes. nam & Respub. Principem, nos patrem amisimus. Sed cum ille Te, Filium tam illustrem, nobis reliquerit; Jehovæ & pro tanto beneficio gratia agimus, & pro felici tua gubernatione proni supplicamus. Populi preces audivi ipse: quas & graves & difficiles fuisse omnes meminimus. Etsi verò alios meos collegas, qui me eruditione & sapientia antecellunt, ipse libentius audirem, quàm ut ego de hac tam ardua re sensum meum priore loco exponerem: tamen, quia hoc cupis Domine: est q; boni, non grata sed vera dicere; faciam quod jussisti. Censeo Domine, planeq; existimo, dandum esse precibus populi Israelitici locum. Omninò enim ita fore mihi persuadeo, ut istâ populo grata

grata faciendi voluntate successio tibi in amplissimum regnum paternum confirmetur. Si enim populo morem geßeris: erit, ut opinor, eave nihil quicquam ad amorem multitudinis tibi conciliandum aptius, amore autem eorum, quibus præsis, conciliato & comparato, regni quoq; ipsius firmitas comparata est. ac profectò in unico illo civium amore navis reipub. gubernandæ & prora & puppis mihi posita videtur. Gignit enim ea res tria, tum ad consequendos tum retinendos Principatus tutissima præsidia, obsequium, dico, & honorem & concordiam. Etenim, quem amamus, ejus caussa nihil non suscipimus. ut autem, quorum in nos beneficia constant eximia & præclara, eos honore prosequamur: utq; maximis laudibus efferamus, in quibus existimamus nos excellentes quasdam ac singulares beneficentiæ atq; liberalitatis virtutes perspicere; contra despiciamus & negligamus eos, qui nec sibi, nec alijs prosint ac serviant: hoc verò nobis omnibus à natura insitum est ac infixum. Atq; hinc nascitur & descendit unio & conjunctio inter Dominum & subditos: quæ quam utilis sit & regno & regi, quamq; suavis; dici vix potest. Significabat id avus tuus, regius Propheta David, vir ad gustum Jehovæ: dum oleo precioso & rori comparabat hanc concordiam. est enim vera in-

ter principem & cives conjunctio verè balsamum, non solum suavitate odoris, sed & vulnerum reipub. sanandorum facultate alijs rebus longissimè præstans. quid dicam de nocturno illo, herbis & folijs arborum guttatim adhærescente humore? quemadmodum hic suavem quandam & levem humectationem effundit, qua agri æstu diurno penè exhausti recreantur & novam vim accipiunt: sic concordia Dominorum & subditorum suaviter rempub. reficit & recreat. Quare amore civium comparato, crede, Domine, te anchoram tibi comparasse, in qua hæc respubl. tempestatibus obortis tutò conquiescere queat. Id te consecuturum video, si benignas petenti populo aures dederis: quem si neglexeris; vide ne tuam salutem à te neglectam posteri tui doleant.

ORATIO III.

Consiliarij Senioris secundi.

pronũciata est à Casparo Capitone Neobrand.

EST quidem, Domine, deploranda populi voluntas: quæ videtur & prudentiam divi Patris tui sugillare, & amplissima ejusdem in nos omnes promerita negligere, & vectigalia, nerrum rerump., incidere. Sed tamen, ut hoc tempore populo gratificeris, ut id suadeam; causæ me impellunt plurimæ. Quod enim in extrema sua oratione dixit collega: idem ego tibi metuo. Scis, Domine, quàm

quàm gravem adversarium habuerit divus Parens tuus, paulò antequam hinc discederet, hunc ipsum Jeroboamum Nebathi filium Ephramum de Zareda: quem eò dementiæ progressum meminimus, ut manus adversus unctum domini levare haud dubitaverit. Est ille quidem, vivo divo patre tuo, in Ægyptum profugere coactus: sed jam populus inde eum revocasse dicitur. Itaq;, quod Patri tuo, viro extra omnem invidiæ aleam posito, Jeroboam fecit: hoc magis in te, cui regnum voce populi nec dum est confirmatum, audebit; idq; eò impensius audebit, quò majorem dementiæ hujus nactus est patronum, multitudinem: cujus multitudinis quanta sit levitas in avi tui exemplo didicimus: quam tantò magis incalescere novimus; quantò nacta est Ducem ad illam rem aptiorem. Non igitur committas, Domine, ut conjurationum vulnera, quæ satis nondum coaluerunt, aperias, aut ut irrites ea, quæ quavis etiam facillima occasione recrudescunt. Præterea quod pace tua, Domine, loquor, aliquid æquitatis habere videtur ista subditorum petitio. nam & libertatis conservatione nititur: nec aboleri prorsus, sed mitigari saltem vult onera. Quæ autem populi ratio vel æqua vel æquitatis speciem præ se ferens non impetrat: ea tandem ejusdem vis efficit & obtinet. Quod si gratia tua id,

quod volunt, impetraverit multitudo: via tibi erit omnis facilior. nam & tui se ad voluntatem tuam accommodabunt; & exteri te moderatum prædicabunt & sapientem principem, & temporibus cedere & benè coctis consilijs uti scientem. Decet autem omnes, cùm homines, tùm reges inprimis, gloriæ & laudi honestæ invigilare. Fateor, non esse semel maturè deliberata consilia facilè mutanda: nec acta divi Patris tui temerè rescindenda. sed tamen & hoc video; quemadmodum prudens navita fædis ventorum in mari procellis oborientibus cedit: sic & principem debere sese reipub. tempestatibus submittere: cum hac tamen cautione, ne contra pietatem & religionem sit ista submissio. Sic David avus tuus Saulem fugit, simulq; filium Absolonem: & mutato velificatione sæpè gubernationis suæ cursum aliò direxit, tempestatibusq; obœdivit, donec discussæ essent. Neq; enim summa rerum temerè ab ullo homine in discrimen vocanda est. Dixi, quæ cum honestate congruere, mihi planè persuadeo. Tu, Domine, & altius hæc cogita: & illud inprimis perpende: oportere, ut præclari alicujus ædificij; sic regni quoq; principium splendidum esse, & cum insigni quadam erga populum voluntatis testificatione conjunctum.

ORA-

ORATIO IV.

Consiliarij Senioris tertij.

pronũciata est ab Erico Erici Tranevardio Sveco

EGO quoq; , Domine , idem, quod reliqui, sentio. Video enim tibi hoc tempore , neq; cibo neq; ulla alia re ad regnum à majoribus ad te translatum , tum tibi tum posteris tuis conservandum tàm esse opus , quàm sapientiâ. Non nego , in regum observatione , in justitia , in principum integritate maximam ad regnum firmandum corroborandumque vim esse positam. sed si absit tamen, qua superiora illa quasi regantur , & locis atq; temporibus rectè accommodentur , sapientia: jacere illa omnia quasi inculta & propemodum sine fructu ; certissimum est. Sed quam dices sapientiam? Illam dico , quæ & potentiæ regiæ moderari , & omnes seditionum ansas præcidere atq; præripere multitudini novit. Inest enim infinitæ illi potentiæ quidvis faciendi & audendi libido: quam in gyrum rationis ducere nemo poterit , nisi singulari & inaudita propemodum sapientia divinitus sit ornatus. qua destitutum necesse est ambitione & cœco sui amore inflammatum ferri. quem vero istæ furiæ agitant , hic in omnia ruit , nec modum in ulla re tenet. ex qua re eversiones regnorum , provinciarum excidia , urbium direptiones , orbis universi fœdissima commutatio oriri solet. At ;

demus

demus moderatum in summa potentia principem: sed quomodo is tamen, si sapientia careat, populi, in seditionem proclivis, conatibus resistet? esse autem talem populum Judaicum, annales testantur. & patri tuo Salomoni, Domine, quàm difficile fuerit tàm præfractæ cervicis populum in officio continere: omnes meminimus. est autem hic ille ipsissimus populus, qui sibi per te levari onera supplex petit. Quare, Domine, tibi consule: quæ te circumstent mala, etiam atq; etiam vide: petitionem populi duram mollissimo brachio tracta: &, quemadmodum natura aquam igni, calori bilis in homine pituitam opposuit: sic tu huic æstui prudentiam. Equum indomitum frenis lupisq; coërces: coërce & tu, domine, freno sapientiæ & tuam regiam potentiam & populi contumaciam, hasq; comitiorum perturbationes. Habet unaquæq; res duas quasi ansulas; quarum si meliorem apprehendas, omnia in melius diriges & flectes, & facilè sine querela perferes: sin alteram pejorem tantum contrectare libeat; nulla res ex animi sententia commodè accidet. Diximus, Domine, collegæ & ego, quæ tibi salutaria fore duximus. idq; fecimus tanquam veritatis & Regis amici: quos te discernere ab assentatoribus oportet. hi enim grata, illi vera semper & sentiunt & dicunt. Tu hæc penitus penitusq; consideres.

deres. Jehova autem ipse oculum tuum videntem & aurem Populi audientem faciat: utq; regiæ potentiæ usus tibi & regno sit salutaris. Idem tuo pectori divi Patris tui vocem inscribat; sæpè affirmantis; responsione molli cõpesci: oratione verò molestâ irã excitari.

ACTUS POSTERIORIS

ORATIO I.

secundò eandem rem deliberandam novis consiliarijs sub persona Regis proponens.

Pronũciata est à Joachimo Custero 16. Sept. Anno 1611

ILli abierunt, mesolo relicto. Ego verò, quid faciam, nescio: quò me vertam, ignoro. geramnè his senioribus morem, nec ne? si fecero, quod illi suadent, metuo ærario: si minus, regno meo timeo. Prô hominum fidem! quanta est eorum, qui ad imperiorum gubernacula sedent, miseria! quàm est horum splendida calamitas! O diadema regium! quantum tu isto tuo perexiguo ambitu inclusum tenes sollicitudinum pelagus! Sed quid queror? ecce, quos per viatorem paullò ante ad me vocaveram, juniores mei oratores, quibus cum adolevi, commodum adsunt. & hos audire, stat sententia. Rectè feciſtis, mei Consiliarij, quod accersiti sine mora huc veniſtis. nec dubito, quin ipsi per vos intelligatis, quid illud sit, quod me hoc tempore mordeat. Quid enim Populus heri à me flagitaverit: quas iniquissimæ suæ petitioni minas addide-

diderit; ipsi, ut opinor, vestris istis auribus audistis omnes. Quare conferte vestra consilia in medium, atq; me juvate. semper ego vos mihi jam ab incunabulis perspexi & animo & opere conjunctissimos. idem de vobis planè & hoc tempore sentio. nec de mea in vos pristina benevolentia, accessione hac tanti honoris, diminutum quicquam existimabitis. eadem est in vos mea mens, animus idem, favor par. vos tantum mihi ne deeste: ego vobis nunquam.

ORATIO II.

Novi Oratoris primi.

Pronũciata est à Joanne Matthæi Neotreptoriensi Pomerano.

QUod sæpè à Jehova ante hæc tempora compre-cati sumus, Domine, ut Te in solio majestatis regiæ collocatum videremus: ei voto nostro hodie finem divina providentia impositum esse, omnes ex animo nobis gaudemus; tibi gratulamur; Jehovamq; supplices rogamus, ut, quemadmodum ipse tibi aditum ad res præclarè gerendas fecit; sic & regnum tuum stabiliat atq; confirmet. Quid Populus Israëliticus heri à Te flagitaverit: nobis omnibus constat. Quæ postulata etsi dura esse, non diffiteor: tamen gratificandum esse Populo hoc tempore, censeo. nec apud me est dubium ullum, quin idem Seniores nostri suaserint. Ita tamen multitudini gratificandum censeo, ut sophismatibus & arcanis Tyrannicis eam suc-

succedentibus tempestatibus in duriorem servitutem redigas. Id quod Tibi nec facto erit difficile; nec inhonestum. Quid enim tibi, Domine, tàm proclive erit, quàm ut civibus tuis auferas in posterum tempus & voluntatem nocendi, & conspirandi potestatem? Utrumq; nullo labore efficies; si operam dederis, ut specie magnis, re autem vera nugis cives tui deinceps occupentur: si caveris, ne ipsis aliquid permittatur, unde possint altiorem animum sumere; & si quid hujusmodi eis antehac indultum fuerit, ut his paulatim adimas: si habeas ὠτακέας, qui in omnia, quæ cives dicunt, agunt, faciunt, inquirant, & ad te deferant: si cives inter sè committas: si injungas illis opera publica, sumtibus ipsorum & laboribus perficienda: si tributa crebra, honestatis & boni publici velo tecta, ab ijs exigas, atq; hoc modo opes singulorum paullatim frangas: denicq; si aut bellum adversus vicinos moveas, aut civibus metum illius incutias. Quarum rerum omnium ratio cum penes te sit, & in tua potestate: ecquis tibi facile id esse, quod dixi, negaverit? ecquis non videt, his ipsis pijs fraudibus populum in eas angustias redigi posse, ut adversus Te nullo modo deinceps commovere sè queat? Nec verò volo te hîc leonem agere: vulpem versipellem in his dolis exercendis te esse oportebit: Ut oratione nil, nisi

tuum in populum favorem studiumq; usurpes; ut ad reddendas de illis pecunijs, quas ex populi collegeris sudoribus, rationes te paratum esse simules; ut nil publicè in turpes voluptates, in scelerum & fraudum artifices, in luxum profundas: ut in omnibus tuis actionibus gravitatem cum humanitate & morum facilitate præ teferas; ut id contendas agasq; ut ubiq; non formidandus sed venerabilis; non astutus, sed simplex; non inops mentis, sed politicus; non demissi animi, sed magnificus, tandem eximiè pius, religiosus, justus, temperans, reipub. curator, & pater patriæ videaris: licet privatim atq; revera talis non sis, sed contrarijs studeas, totumq; te mancipes. Hæ sunt, Domine, illæ artes, hæ sunt piæ illæ fraudes, quibus, etsi nunc aliquid largiaris, populum in duriorem, quàm nunc est, servitutem postea redigere te, posse judico. Jam honestum esse, Domine, ut his artibus utare, quis est, qui dubitet? An non Moses ipse multis populum hunc sanctionibus & exactionibus ad eum in officio continendum oneravit? Quid verò Saul, quid David, quid Salomon pater tuus fecerint, notius est, quàm ut à me dici debeat. Cumq; ipsa tempora tibi hanc piarum fraudum necessitatem imponant: nemo erit tàm in regem impius, qui hæc impugnare ausit. Aut enim obsequendum erit populo

pulo, & simul illis, quas enumeravi, technis, ad coërcendum illum, locus erit dandus: aut alia erunt exspectanda. quæ quàm præter etiam spem evenire tibi, Domine, possint; & hujus populi pertinacia, & hoc ipsum Regis initiandi, quo citius opinione seditiones nasci possunt, tempus; & vicinorum, vel regno huic inhiantium, vel ejus jugum excutere satagentium, cupiditas, satis superq; docent. Dixi, quæ sentio: salvis tamen collegarum votis: quibus rectius sentientibus nec me opponam, nec quicquam detraho.

ORATIO III.

Novi Oratoris secundi.

QUÆ tibi, Domine, precatus est collega: de ijs una est omnium nostrum sententia. Sed quæ de oneribus Populo levandis idem dixit; mihi peræque non probantur. Afferunt enim secum quandam simulationem & dissimulationem: quam pessimè execrari solitus est pater tuus divus Salomon, ita, ut exitium æternum bilingui homini multoties fuerit imprecatus. Nec carere periculo mihi ista res videtur. est enim populus noster non adeò obesæ naris, ut fraudes Politicas tandem non intelligat. atq; tùm quo loco futura esset vel tua dignitas, vel nostra omnium incolumitas: id facilius est, conjectura assequi, quàm experiundo cognoscere. Apertè ergo cum populo agendum

Pronũciata est à Theodoro Crægeo.

dum esse, censeo: omnino q; ipsi denegandum quod tantis heri ambitionibus petebat. Cupiunt enim aboleri tributa: quod quàm perniciosum sit, res ipsa loquitur. Quid enim respub. aut regnum sine vectigalibus? hæc ornamenta sunt pacis & subsidia belli: hi sunt nervi imperij. tolle animam, & concidet hic mundus exspirabitq;. tolle tributa: nec poterit ulla respub. esse salva. nec enim quies gentium sine armis; nec arma sine stipendijs, nec stipendia sine tributis haberi queunt. & tu, Domine, sine vectigalibus tantum te regnum tempore vel pacis vel belli gubernare posse existimes? Respice in divum Patrem tuum: & quis ei in tributis Populo imponendis fuerit sensus, statim prima fronte perspicies: nisi fortè divum Patrem tuum, cujus sapientiæ coràm audiendæ causa totum ferè orbem terrarum in hanc sanctam urbem venisse, rumor est, hîc insipienter egisse arbitrari volueris. In cujus solium cum jam succedas: in ejusdem te quoq; succedere oportebit regni conservandi curam. Sed profectò non video, quomodo sine vectigalibus tibi illud factu facile fuerit. Nihil dicam de sacrificijs, quæ divus Salomon quotannis peragere solitus est tanta magnificentiâ, ut in ijs vel solis regni opes spectarentur. Nihil de templi sacratissimi supellectile splendidissima; quæ duo certè sine maximis sumtibus tueri nunquam

quam possis. Jam de custodia regni, de præsidijs, de apparatu divi Patris tui regio; de mille quadringentis illis quadrigis; de duodecim millibus equitum; quæ omnia hereditario jure ad te pervenerunt: de his velim, Domine, ipse cogites, & quidem accuratè cogites: an sine vectigalium adminiculo & ista conservare, & ut salva tibi sint, efficere te posse speres? equidem id tàm proclive esse puto; ac est, sine pennis volare. At fortè sunt, qui sibi à seditione metuunt, nisi populo obœdiveris. Hos redire jubeo ad illos, qui metuunt, ne cœlum ruat. Neq; enim tu, sed divus Salomon, pater tuus hæc onera populo imposuit: neq; in his imponendis suæ is libidini paruit, sed publicæ utilitati consuluit: neq; tamen onerum horum origo est ab ipso, sed à Jehova Deo nostro, qui Regibus hoc jus præscripsit. Itaq; tentent malevoli, quicquid velint: concitent plebem: incitent multitudinem: Jehova tamen tibi aderit: Jehova jus suum tuebitur: Jehova in subitum præcipitabit seditiosos exitium. Huic Jehova, Domine, te crede: in hoc spem tuam repositam habe: nec vectigalia dimitte; nisi in cupidissimas hostium, undiq; huic regno inhiantium, fauces, præsidijs & rei gerendæ nervo orbatus, Te & splendidissimum hoc regnum volens vidensque invergere volueris.

ORA-

ORATIO IV.

Novi Oratoris tertij.

Pronunciata est à Iacobo Clepelio.

ET ego, Domine, in sententiam hujus mei collegæ pedibus discedo: apertè id, quod sentimus, esse lingua præferendum; Populoq; onerum sublevationem denegandam. Nec tantum uno modo, sed alijs etiam de causis necessarium judico, retinere Te Rempubl. talem, qualem à divo Parente acceperis. Nam, quod Jehova juris Regij auctor sit: jam dictum est. huic autem præpotenti Deo, ut facto hoc suo resistat Populus, cur tua, Domine, indulgentiâ efficeres? cur apud alias gentes, apud quas Regum jura inviolabilia sunt, nomen tuum diminui aut probris affici, concederes? quarum Rectores te quoq; caputq; tuum petituri essent, ideò, quod judicaturi sint, Te; id quod res est; hac ista tua lenitate omnibus alijs subditis, se dominis suis opponendi signum extulisse. Hoc autem, Domine, de Te, tanto Rege, ne quidem cogitari, nedum dici debet. Nec est ullum apud me dubium, quin populus hac flagitatione in gravissimum violatæ fidei scelus incurrat: cum ea in posterum tempus facere recuset, quæ Divo tuo Parenti omnes fecerunt: & quo nomine Tibi quoq; obligatos eos omninò censeo. Ac si Abrahamus Pater noster, vir ille, cum quo Jehova non solum suum de evertendis

dis Sodomis consilium communicare voluit, sed se ab eodem quoq; in hanc sententiam deducere passus est, ut quinq; regnis parsurum se confirmaret, si decem illic bonos viros inveniret: si, inquam, hic Abrahamus Melchisedeco tributum solvit: quæ, quæso, ratio inveniri poterit, quam populus huic suæ libidini, onera publica excutere satagenti, prætexat? Quæ quidem impietas quanta sit, Domine, mecum vel hinc recognosce. Etenim Abrahamus, quod non debebat, vectigal solvit. hi tui cives etiam id, in quod Divo Parenti tuo, cujus in locum succedis, obligati sunt, tibi denegare audent. Abrahamus in solvendo ita promtus & hilaris erat, ut non petenti Melchizedeco omnium rerum decimas daret: hi cives ita monstrosè se tibi opponunt, ut vim intentare videantur. O pertinaciam populi! ô protervitatem! ubi hîc est jus naturæ? quod obœdientiam superioribus præstandam à subditis flagitat? equidem id planè in hominibus his nostris cœno quodam impietatis & perversitatis obrutum esse animadverto. huic tu, domine, impietati, morem geres? huic obœdies? hujus tu minister eris? avertat hanc à te pestem Deus: eamq; tibi instillet mentem, ut & tuæ incolumitati, quæ sine obœdientia esse non potest; & Regni commodis, quæ detractis vectigalibus evanescent; rectè hoc tempore consulas atq; servias.

ORATIO V.

Novi consiliarij quarti.

Pronũciata est ab Heinone Ravenquite Mezapolitano.

NIhil, Domine, hic meus collega dicere potuit verius: nihil ad præsentem rem accomodatius; nihil tibi tuoq; regno utilius. Ego verò & hac ipsa petitione populi violari majestatis tuæ jura, planissime judico. Habuit Divus Salomon potestatem & jus ordinandi & curandi ea omnia, quæ ad salutem Reip. pertinebant. itaq; ipsum & judicia rectè constituisse novimus: & pœnas præmiaq; distribuisse; & jus vitæ ac necis in subditos habuisse: & semper hanc terram nostram à latrociniis tutam præstitisse: & belli pacisq; claves in sua manu; munita loca in sua potestate habuisse, scimus. Has tantas res flagitatione populi peti, quis non videt? Decet autem te, Domine, id operam dare, id eniti, in id omni cura mente atq; cogitatione incumbere; ut, si vivere, si regnare velis salvus, sint tibi ista omnia salva: nec patiaris, ne minima quidẽ in re tibi aliquã eorum particulam imminui. Dum enim hæc petunt cives, Te ipsum petunt: in hæc dum impetum faciunt, Te adoriuntur. quid enim est mundus sine sole? & quid est Rex sine Majestate? At mitigari sibi tantum vult Populus onera; nec ut planè tollantur, cupit? at execranda hæc est Populi levitas: detestanda hæc est semper nova appetens vulgi cupi-

cupiditas. Quid autem, Domine, hoc quod illi petunt, aliud est, quàm flagitare, tolli tributa? Novi mores multitudinis: perspectam habeo vulgi naturam. primò mitigari aliquid petunt: quod si impetraverint, mox abolere illud imperant. servorum hoc est, ut si paulò plus ipsis indulgeas, patientiâ ista tua nimium quantum abutantur. eadem mihi videtur multitudinis conditio & natura. hanc tu frænis, hanc tu compesce catena. Nec est, quod tibi ab hac bestia metuas. facilimè eam domueris, & in gyrum obœdientiæ traxeris. habes nervos: habes instructa armamentaria: habes equos ad bellum lectissimos: habes currus falcatos quàm plurimos. nec corpora deerunt, nec fortes manus: nec tibi omnes negotium facescent: nec vicini Reges, qui hanc communem causam suam judicabunt, te deserent. Tu modò, Domine, fortiter age: tu fortiter illis obluctare: tu responde populo; eum à Divo Patre tuo gravi quidem fuisse pressum jugo: sed Te idipsum adauctum jugum; & cum Pater scuticis in eum animadverterit, te scorpionibus in eundem animadversurum. His, Domine, monitis nostris si parueris: & Te regno, & regnum Tibi conservabis. sin minus, contraria omnia; quæ tamen Jehova tibi defendat; senties. Qui enim populus nunc ad te dicit, mitiga tributa: is, nisi caveris, paullo post

tibi dicit: descende de solio. hæc pati & turpissimum est & miserrimum.

ORATIO ULTIMA.

Sub Persona Regis hanc deliberationem concludens.

Pronũciata est à Joachimo Custerio.

VEhementer me, Consiliarij mei, vestrâ cùm cæterorum, tùm hujus, qui postremo loco dixit, oratione perculsum atq; commotum sentio. O Jehova! quid agam? quid incipiam! unde initium sedandæ hujus tempestatis faciam? ubi finem præstituam? abnuamnè quod populus vult? seditio mihi parata erit. novi, novi, populeIsraelitice, præfractum tuum animum: cognitæ sunt mihi duræ tuæ cervices: non ignoro cor tuum adamantinum. Rursus, faciamnè quod populus vult? præsidia regni cum majestate atq; salute perdidero. est enim vulgo ignobili nihil furiosius, nihil quod, semel via facta, majore in dominos feratur petulantia. ac nihil mihi videtur intolerabilius, quam vitata Pharaonis alicujus Tyrannide, in vulgi immanitatem incidere eum, quem sors de solio præcipitem egerit. Sed quid queror? recipiendus est animus: atque, ex duobus, quod dicitur, malis minus erit eligendum. Vestram ergo amplector sententiam, qui populo mitigationem onerum apertè denegandam esse censuistis. Itaq; & ipsi, ijs, quibus præstum est, verbis respondebo: eventumq; Deo commenda-

mendabo. rebellioni autem, si qua futura est, omnibus regni viribus obviam ibo: nec de successu adversus seditiosos, dubitabo: qui si me fefellerit; nec contra Deum pugnabo, nec ultrà nitendo pergam: sed cogitabo; satius esse ac beatius, paucis volentibus, quam multis invitis imperare: & in solio avito constitutum aliquas splendidissimi regni partes tenere, quàm de eo planè dejectum, vagum exulemq; passim oberrare. Jehovam oro, ut is faciat, quod in conspectu ipsius rectum atq; placens fuerit. & vos cum bona gratia dimitto. DIXI.

ORATIO XI.

In Superbiam.

NON parum, Auditores, ad doctrinam adfert momenti, nec levem, ut ego opinor, meretur laudem, nos ea in his nostris congressibus dicendo tractare; quæ ad stylum maximè spectant. verum illa tamen si accesserint, quæ nos aut ad virtutem exstimulent, aut à vitijs revocent; tantò majus ex hac ipsa dicendi consvetudine ad nos, quantò res ipsa ad tractandum suscepta illustrior est & præstantior, redundabit commodum. Hæc enim palæstra non solum ad componendos mores, qui, ut cum Cicerone

Pronũciat est 11. Maij Anno 1614 à Casparo Vaget Rostoch.

loquar, non tam à stirpe generis ac seminis, quàm ab ipsa natura bonis ex quotidiana exercitatione suppeditantur, maximè est necessaria: sed facit etiam ad retinendam omnis disciplinæ & virtutis honestatem: cujus certè ope ita indiget vita humana, ut sine illa omnis statim contabescat Respublica. Est enim virtus sola unum illud immortale bonum, quod non moritur, quod unum convenit tantum immortale mortalibus: ut quidam ê numero Poetarum elegantèr expressit: Nil non mortale tenemus, pectoris exceptis ingenijq; bonis: deniq; virtus est, quæ etiam studioso nomen dat; cujus solius cultura cum, quicquid est, totus sit studiosus; quid sanctius ipse cogitare potest, quàm illa quæ ad nomen suum conservandum pertineant? quid fructuosius patrare, quàm si ea comparet, quæ ad eruditionis thesaurum, bonis non perituris complendum, faciant? quid laudabilius agere, quàm si in dicendi virtutumq; theatro sese exerceat? Me quod attinet, Auditores, non diffiteor, me Juvenem esse, nec ea doctrina excultum, ut me eruditis & virtute præstantibus annumerare possim; tantum abest, ut animum meum inducam, eos me posse æquare, qui in Rhetorum scholis exercitati summa cum laude consecuti sunt lauream. Itaq; nescio, an mihi imperito, & ad perorandum, deq; facil-

facillima etiam materia disserendum minus apto, hæ partes conveniant, onusq; hoc meis humeris par sit. Sed quid? tacendumne igitur? non arbitror: Causæ enim, quæ me movent, maximæ sunt gravissimæq;: ipsius exercitationis dicẽdi præstantia & excellentia: probandumq; hujus nostri Collegij institutum: quod mihi quodammodo hanc personam imponit ac imperat. cumq; mihi proposita sit, non quidem alios reprehendendi cupido, verum honesta parendi legibus hujus nostri collegij, & me ipsum ad DEO gratas virtutes excitandi voluntas: laudabile esse censeo, & me rectè facturum, vobisq; haud ingratum puto: si de ijs rebus ad vos verba faciam, quæ ad mores honestè informandos instituendosq; potissimum spectant. Sed quoniam materiæ propositæ præstantiam oratione mea assequi haud possum: à vobis, per communem nostrorum studiorum amicitiam, peto ut non tã verba mea, quam rei ipsius dignitatẽ, & petitionis meæ æquitatem spectare velitis. Dicam n. aliquid in SUPERBIAM & quantum quamq; horrendum illud sit vitiũ, paucis demonstrabo. Quod argumentum dum persequor: vos oro ut benignis & attentis auribus me audiatis. Natura sic comparatum est, Auditores, ut quamq; rem ex primo suo ortu æstimemus, ut, si is in bonis sit, ipsam quoq; bonam; in malis, malam prædicemus.

Neq;

Neq; etenim è squilla rosa nascitur aut hyacinthus: nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Quare quò minus SUPERBIAM *inter ea, quæ abominanda sunt, referamus; quid caussæ sit; non video: cum constet, eam à malo genio, ab illo omnis tùm honestatis hoste, tùm turpitudinis progenitore, suam trahere originem. Hujus enim primum peccatum fuisse, appetitum principatus; propter quod cum suis complicibus ex altissimo cœli loco in ima tartara dejectus sit; venerabilis antiquitas sensit. Is postea primis nostris parentibus persuasit, crederent, se futuros ipsi* DEO *similes. eritis sicut Dij, dicebat veterator ille protoplastis: verum eheu! quantam miseris afflavit pestem? in quantam perniciem præcipitavit incautos & nimium credulos? Certè, quàm primum sedebat hæc sententia ipsorum menti, Dijs similes eritis: dicto citius, nocentissimum venenum, superbia totum pectus nostrorum parentum perrepsit: eosque ita fascinavit, ut à verbo* DEI *discederent fiducia propriæ sapientiæ, & æquale cum creatore suo regnum, imperiumq; majus, quam ipsis datum fuerat, appeterent. Ab hoc igitur tàm pulchro corvo à Diabolo cum tàm pulcrum exclusum ovum superbiam accepissent primi nostri parentes: tum ijdem posteris suis reliquerunt quasi nutrices quasdam, quarum*

cura

cura accedente teterrimus ille fœtus in nobis, pro dolor, adoleſceret, cæcitatem animi, ſecuritatem & amorem ſui. Nec enim aliud eſt, Auditores, quod nos miſellos intumeſcere facit, quàm quod nec malivim intelligimus, nec cogitationes noſtras ad Deum referimus, quodq; noſtra magnifacimus, nobisque ipſis adulamur. Hi ſunt ſuperbiæ in nobis peßimi effectores: unde quod natum eſt, id eſſe peßimum, tàm eſt certum, quàm quod certißimum. nec enim ex ſerpente, niſi ſerpens: neq; ex lepra infectis niſi leproſi per naturam generari poſſunt. Quare quibus alijs niſi natantibus oculis hoc ſordidißimum monſtrum aſpiciamus, equidem neſcio. Olim apud M. Perpennam judicem aderat contra Aculeonem Lamia deformis, qui cum interpellaret odiosè, audiamus, inquit, pulcellum puerum, Craſſus, arriſum eſt vehementer. At nos totos in fluvium lacrumarum reſolvi fas erat, quoties mente repetimus elati animi turpitudinem, qua nihil dici cogitarive poteſt inquinatius, cum tanto dedecore notatis auctoribus orta ſit. Ad quos ſi externorum bonorum affluentia accedat, tùm verò videas, ut ſupervideri cupiant homines? ut ſupergredi geſtiant? quanto appetitu ad perverſam celſitudinem, ad eum, quem ſibi opinionis errore finxerũt, principatum anhelent? ut pavonio quaſi ambitu ſeſe explicent,

suaque circumspectent & admirentur. Prosper enim omnium rerum successus, malus DEI *timoris custos est: timore autem Dei sublato, fastum existere oportet in ijs, quibus res ad voluntatem fluunt. Ac si quis vestrum est, Auditores, qui primoribus labris historiarum embammata & carchesia libavit: illum fateri oportebit, illos, qui ex fortuna humili ad meliorem progressi sunt, factos esse deteriores & superbos. Quid enim Annibal? pugnæ Cannensis successu adeò insolescebat: ut neminem suorum civium in castra admitteret, nec ulli responsum nisi per interpretem daret. Quid Alexander? profligato Dario, cum nomen Magni accepisset, tantos sumsit spiritus, ut nulli in posterum, nisi Antipatri & Phocioni in literis salutem asscripserit. Quid Pallas, Claudij Cæsaris Libertus? eò superbiæ pervenit, ut nunquam suorum ministrorum quemquam alloqueretur, sed vel nutu, aut manu, aut literis scriptis indicaret, si quid vellet: idque ideò faceret, ut ne cum ministris vocis suæ dignitatem communicaret. Quis igitur superbiam non turpissimam diceret? quis tam virtutis, & sui ipsius ignarus, ut superbiam, tanquam vitium detestabile, non fugeret & vitaret? Quod si leve cuipiam hoc, quod diximus, videatur: is attendat obsecro, an non vel eo nomine acerbissima illa pestis superbia exsecranda*

nobis

nobis sit: quod qui eo morbo correptus est, hic sese efferat propter res alienas, nostræ manui potestatiq; minimè subjectas. Hoc si dicis causa à me dici quis existimet: audiat electum illud DEI organon magnum Apostolum Paulum exclamantem: quid est homo, quod non accepisti? sin autem accepisti, quid superbis? audiat Jacobum, qui omne bonum donum, omneque perfectum munus affirmat supernè esse, descendens à patre luminum, apud quem nulla est mutatio, aut ulla conversionis umbra. Jam verò quid vanius, quã de illis sese ostentare, quæ nec nostri juris sunt, nec à nobismet ipsis proficiscuntur? Alienis plumis nos honestamus, si id facimus: quod quàm turpe sit, quamque ridiculum, Ethnicus ille Poëta Flaccus probè intellexit: qui corniculæ, aliarum avium plumis se ornanti, tales comparat, cum ita scribit:

Ne, si fortè suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas; moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

ô stultitiam effusissimè ridendam, de ijs bonis sese efferre, quæ à nobis non sunt! Quis enim, Auditores, stoliditatem hanc superborum non rideat? Etenim si hanc vitam nostram, quæ fluxa & caduca est; si conditionem, qua degimus, quæ miserrima est, inspicimus: videmus quibus rebus homines illi superbiant: quas non solum alienas, sed etiam merè fugiti-

vas esse, tùm sacris testimonijs, tùm profanis exemplis abundè cõfirmari potest. Quid enim Moses, vir Dei, de homine dicit? quomodo ille humanam vitam describit? Homo, inquit ille, sicut fœnum: dies ejus sicut flos agri sic efflorescit. Appositè etiam Philosophus quidam interrogatus, qualis esset vita hominis, tacitus in conspectu interrogantium in celerem se se gyrum circumduxit, & mox se abscondit: quo gestu indicare voluit, humanam vitam nihil aliud esse, quàm si homo homini semel appareat, & confestim evanescat. ut verbo dicam, tàm incerta hæc vita antiquis visa fuit, ut eam philosophorum quidam somnium, alius umbræ somnium appellaverit: tàm instabilis atque mutabilis fortunæ felicitas, ut alius dixerit, difficile esse, vel in quantumvis beatis hominibus asserere, quamdiu hæc ipsis duratura, aut num ad vesperam usq; permansura sit. David, Jehovæ vero Deo cumprimis charus Rex, hodie imperium tenens, à filio Absolone paulò post pellitur regno, ita ut coronam nolens volens deponere sit coactus. Sennacherib, antea felicissimus, tandem mutato fortunæ cursu à filijs interficitur. Haman, cum aliquandiu tumidè alijs dominatus esset, subitò ex altissimo felicitatis gradu in summas præcipitatus miserias, hoc solo beneficio est à fortuna affectus, quod non humi, sed in crucem, quin-

qua-

quaginta cubitos altam, actus in sublimi putruerit. Apryes, postquam jactaverat neminem Deorum aut hominum posse sibi regnum eripere, eadem nocte strangulatus est. Lubens prætereo exempla aliorum, Polycratis Samij, Crœsi, Dionysij: qui omnes ex summa fortuna regia in barathrum miseriarum sunt deturbati: ex quibus & postremus, regno Siciliæ exutus, Corinthi Mitragyrtam egit. Sed non tantum fugitivæ sunt res propter quas nonnulli sese efferunt, verum profectò longè minores, quàm censentur: pleræq; etiam, quibus magni quoque nominis, magnaq; sapientia præditi viri sola gloriæ causa decepti sunt, tàm viles, ut vilius illis nihil dici possit. Videte enim, Auditores, in templo apud se precantem Pharisæum, ut suis ille operibus se suffarcinet? recognoscite, quam tenuia sint, quorum causa ille cristas erigit? vel Alexandrum illum magnum videte, ut sibi propter effictam divinam quandam potentiam, plus quàm Suffenus ille Catullianus placuerit? sic alius se miratur, quod persvaderi sibi passus est, se nosse ea, quæ alius quispiam ignorat, quæ fortè cum Junone fabulatus sit Jupiter. alius se sine rivali amat, cum se undiquaq; præstantissimum in popinis prædicari intelligit: nescius maximam partem eorum quæ sciat, esse minimam eorum, quæ ignorat. quid multis? sicut Ebrij objecta gemi-

nata intuentur; ita superbi sua, si quæ habent, dona multò majora esse somniant, quàm revera sint. Nec tamen in hoc cœno se solum volutat superbia. sæpissimè etiam in rebus exitiosis sese ostentat atq; effert. Quid enim hodie apud illos, qui alba gallina nati dicuntur, usitatius, quàm ob ingentem auri acervum superbire? fortunatos decet superbia, inquit ille: at audiamus hac de re divum Apostolum; is, affirmat, qui cupiunt ditescere eos incidere in laqueum Diaboli. Alios videas insolescere gladiatoria corporis firmitate: at summus & acutissimus Philosophus Aristoteles testatur: robur corporis multis exitium tulisse. Alios cernere est imperij magnitudine aut laticlavia tunicâ nimium quantum intumescere. at magnus ille historiarum parens Plinius, quàm multos, inquit, accepta afflixêre imperia? quàm multos bona perdidêre, ultimisq; supplicijs mersêre? Quæ quidem cogitans, non possum horum hominum insolentiamnè dicam, an fatuitatem, an miseriam non admirari; qui si in eam, quæ elationi animi è diametro adversatur, virtutem intuerentur, ejusq; pulcritudinem cognoscerent, nunquam tantam insanirent insaniam. Illi enim honesto, quod animos in gyrum rationis flectit ne se efferant, multa alia insunt ornamenta, metus Dei, modestia, φιλανθρωπία, sedulitas, despicientia

tia rerum humanarum, & studium omnia ad communem Ecclesiæ & Reipub. salutem conferendi. Quæ tanta tamq; excellentia bona cùm singula omni prædicatione, omniumq; hominum approbatione atque amore sint digna: tum satis superquè demonstrant, quàm fœda quamq; atrox, quantarumq; calamitatum, quibus omnes vitæ partes affligantur, parens atq; effectrix sit superbia. Et profectò magnarum in genere humano perturbationum hæc ipsa semper fuit caussa. vultis testimonijs rem probem? Cain ideò discedebat à puritate doctrinæ, quam parentes, & frater Abel colebant, quia propriæ sapientiæ & pietatis opinione turgescebat. Samo satenus, cum se totum ad ineptissimum fastum convertisset; cepit contra sanam receptæ doctrinæ formam novi aliquid comminisci. Arius, sola ambitione impulsus, funestissimum illud bellum contra DEI Filium movit: quo totus oriens postea conflagravit. Nec hodie desunt, quibus Ecclesiæ & scholæ jactentur, ex solo nonnullorum fastu, alicujusq; θεοσεβείᾳ, sapientia quadam ultramarina sibi comparandæ, pruritu ortæ fluctuationes. In Respub. verò quanta bellorum, dissidiorum, odij & malorum hinc semper seges? Pompejus & Julius Cæsar, cum neuter neutri cedere vellet, imperium Romanum aliquando miserè lacer-

lacerarunt: de cujus utriusq; effrænato ad gloriam cursu sic scribit Lucanus:

Nec jam ferre potest Cæsarve priorem,
Pompejusve parem ——

Alcibiades sola ambitione impulsus, suasit bellum gerendum in Sicilia, exitiale patriæ. Athenienses cupiditate principatus propriarumq; utilitatum studio accensi, bello Peleponesiaco multa nova moliebantur. quæ res urbi tandem evertendæ occasionem dedit. Universa Græcia ambitione tumida, ingentes sibi calamitates accersivit. Catilina hac peste incitatus, in patriæ suæ exitium conjuravit, quo & ipse perijt. Postquã n. superbia omnia divina & humana miscuit: tũ etiam tandẽ ipsos sui cultores beat, & laqueo (quod dicitur) ita complicat, ut pœnas minimè evadãt. Quemadmodum enim ligna ex se gignunt, quibus putrescant & absumantur: ita superbia ex se parit mala, quibus hi, qui eam colunt, divinitus pereant, aut certè infestentur. Palæstinorum superbia sibi attraxit morbum, quæ partes corporis eas, quas natura ab aspectu removit, excruciabat. Ægyptiorum superbia domita est muscis & ranis. Nahas Ammoritarum Rex, cum superbè minatus esset, se civibus Jabes dextros effossurum oculos, paulò post trucidatur. Nicanoris ducis Syriaci tanta fuit superbia, ut extenso brachio contra templum juraret: at hic interficitur in acie; & interfecto

fecto præcidi victor Judas Maccabæus caput & brachia jußit, & ſuſpendi ante templũ, ut conſpiceretur exemplum pœnæ hominis ſuperbi. Saulem deniq;, Jeſabelem, Nabuchodonoſarẽ faſtus exitio gravi ſtravit: verendumq; eſt, ne futuris ſeculis, omnibus ijs, qui plus ſibi quàm decet aſſumunt, ultima ſtet cauſſa, cur pereant funditus, imprimatq; muris hoſtile aratrum exercitus inſolens; ut mihi hoc de ſuo Flaccus accommodet. maximè autem hoc ineſt ſuperbiæ pertimeſcendum, quod eâ ipſa homines in æternum deturbantur exitium. ſuperbia, inquit D. Bernhardus, de ſuperis cœleſtibus ad ima præcipitat: humilitas ab imis ad alta levat. Angelus è cœlo ad tartara corruit: homo è mundo ad cœlum aſcendit. Conſiderate enim, Auditores, horrendum illum exitum, quo Abſolon patris regnum ambiens miſerandum in modum interijt. perpendite homines Coræ, anhelantes ad regnum populi, & ſuperbè Moſi Aaroniq; reſiſtentes; qui unà cum domibus & omnibus rebus à terra, hiatu patefactâ, abſorpti vivi in infernum deſcenderunt, atq; ita ex republ. ſublati perierunt. Sed & Lucifer ipſe, Angelorum princeps, cum ſibi nimium tribueret, Deoq; ter opt. max. par eſſe vellet, in momento, in ictu oculi, è ſummo cælo præcipitatus in abyſſum, æternas ibi pœnas impiæ ambitionis luit. Quare, Auditores, ſi

DEUM, si proximum, si nosmet ipsos diligimus: fugiamus turpissimam calamitosissimamq; superbiam: quæ ipsius Satanæ soboles est: quæ est initium omnis peccati: quæ tanta turpitudine laborat: quæ rebus nihili sæpeq; exitiosis insolescit: per quam tot præclari viri inexpiabili fato pessumierunt, consumtiq; sunt: ex qua tot odia, tot bella, tot infinita mala originem trahunt, inq; mundum redundarunt. fugiamus hanc belluam, eiq; modestiam, quæ tanquam Gorgonei capitis aspectu lapidescat & pereat, constanter magnoq; animo opponamus. Quod cum nos ipsi per nos facere non possimus, Auditores, facilè intelligitis divina gratia nobis opus esse: quæ & nobis seriò vocantibus non denegabitur. Ut eum DEUS resistit superbis: sic nunquam ad virtutem tendenti imploratum numen cœleste defuit. DIXI.

ORATIO XII.

DE

Temperantia.

QUOD si, Auditores, Italicus ille Aristoteles Scaliger, rectè, ut omnia, dixit, omnes nos in unum id studere debere unum, ut fructuosas & jucundas simul horas nostras faciamus: me quoque non malè tempus collocaturum spero, si in instituto

ronũciata
ſt 14. Maij
nno 1614.
b. Henrico
rengero
oſtoch.

tuto & incepto nostro studio dicendi perrexero. Est enim consuetudo hæc declamandi & optima, & digna, ut labore summo, summa ope, summaque vi ab omnibus in castris Musarum versantibus expetatur, & omni ætate maximisq; progressionibus à juvenibus excolatur. Ac certè polchrum inprimis & præclarum ipsi etiam statuitis, sæpè in his nostris congressibus, qui honestate conjuncti sunt, de virtutum laude ac decore dicere. Nec enim parum utilitatis hæc ratio afferre solet; cum & Deum Trinunum fontem ac scaturiginem omnium virtutum laudet; & de hominis in hac vita felicitate nos admoneat; & quonam pacto animi perturbationes cohibendæ sint doceat; & virtutum vitiorumque vim & naturam explicet; & constanter honesteq; vivendi rationem præscribat; deniq; languentes excitet currentesque inflammet. Etsi autem sunt, qui hoc nostrum institutum de præclaris rebus in hoc nostro consessu disserendi vituperent; nos tamen scimus eos errare & vim facere rebus bonis, ad quas certum est non parum inflammari animos hominum, si de eis sæpius sæpiusq; præcepta audiant. Præclarè igitur & sapienter à majoribus factum est, quod in describendis honestis rebus, in pingendis virtutibus, in commemorandis rectè factis juventutem exerceri voluerint. Cui ab antiquis

tiquis temporibus usurpatæ consuetudini ut me accommodarem, constitui, quod felix sit & faustum, de virtute quadam, de Temperantia apud vos, Auditores, non quidem dicere, sed loqui, neq; adeò loqui, sed fortè balbutire. A vobis, Auditores, ut hanc meam Oratiunculam quàm maximè benignis auribus accipiatis, vehementer peto atq; contendo. Nemo, ut mea quidem fert opinio, Auditores, est tàm inamœnus, ut Temperantiam rem inhonestam; nec multò magis, id quod omnium doctissimorum & sapientum calculis jam antè approbatum est, diceret; magnam laudem magnumque amorem Temperantiæ à nobis omnibus deberi. Hæc enim inter virtutes non minima ab Aristotele, & alijs qui rectè aliquid sentiunt possuntque, habetur. Quid autem Virtute pulchrius? quid amabilius? quid homine dignius? Virtus est, ut cum Stoicis dicam, quæ efficit vitam beatam. virtus sola, Senecâ teste, & unica est, quæ nos immortalitate donare potest, & pares Dijs facere. Quod cum de omni Virtute verum sit; tum illud inprimis de Temperantia dici potest, quod virtutum quasi chorum quendam secum ducat, quodq; nutrix & conservatrix sit honestatis. Græci enim σωφροσύνην, qua voce etiam Temperantiam appellari affirmat Cicero, dictam volunt, quasi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, quod servet

vet Prudentiam; quam scimus moderatricem esse omnium virtutum moralium. Quod si Temperantia Prudentiæ custos est & nutrix, ecquis dubitare possit; non unius sed plurimarum virtutum salutem in una Temperantia contineri? Tu aut Deum invocabis, aut cultus divinos ritè præstabis ebrius? Quæ autem vitæ pars sive publicis, sive privatis, sive forensibus, sive domesticis in rebus, sive tecum agas quid, sive cum altero contrahas, vacare hac virtute potest? Quare in Sobrietate multas quoq; inclusas virtutes latere, certum est. Illud autem bonum tantò est præclarius, tantò honestius; quantò plura alia bona secum ducit, quodque plurium bonorum quædam est nutricula. Itaque Temperantiam rem esse honestissimam, dubitari nec potest nec debet: quam etiam eò majorem facimus, quantò Intemperantiam majus esse vitium constat. Dixit Divus Hilarius, Intemperantiâ iram Dei provocari, mentem alienari, libidinem inflammari, corpus enervari, substantiam dissipari, pacem separari, infirmitatem generari, mortem naturalem adduci, & deniq;, quod longè teterrimum est, divinam maledictionem induci. O rem pessimam Intemperantiam, quæ omnibus servis cupiditatibus, quæ omnem animi motum conturbas, quæ pœnas æternas tecum trahis! dixit de te Hieronymus:

mus: te esse ignem infernalem, cujus materia sit gula: flamma, superbia: scintillæ, prava colloquia: fumus, immunditia: cinis, gehenna. Quæ cum ita sint, Auditores, nonne Temperantiam tantæ tamq; horrendæ belluæ domitricem affirmabimus rem honestißimam omniq; amore amplectendam? Est enim Temperantia illa sola virtus, quæ mediocritatem secundum rectam rationem efficit in cibo & potu naturæ optimæ convenientem. Hanc verò ut obeamus, non est nostri arbitrij nostræq; voluntatis. mandatum DEI est severißimum, præcipientis, ut hujus quisq; virtutis perquàm maximè studiosi simus. Non pro libitu, inquam, & placito nostro Temperantiam jam colere, jam incultam relinquere possumus; sed ipse Deus hanc virtutem vult coli, cõtraria autem vitia vitari. Ita n. os veritatis Christus; cavete, inquit, ne corda vestra graventur crapula. Ita Paulus: nolite, inquit, inebriari vino, in quo luxus est. & iterum idem Paulus: abijciamus, inquit, opera tenebrarum, & induamus arma lucis, tanquam in die compositè vivamus, non in commessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lascivijs, non contentione & æmulatione; sed induamus Dominum Jesum Christum. & rursus: nos, qui Dei sumus, sobrij simus. Vidimus, Auditores, mandatum Dei præcipientis nobis hanc virtutem:

tutem: jam quoq; illius videbimus necessitatem, & in communi vita ad omnes vitæ partes utilitatem. Hanc Macrobius uno ambitu complexus est, affirmans, omnia, quæ homines in hac vita expetunt, cujuscunq; tandem generis illa sint, nullâ re certius aut facilius quàm Temperātiâ & sobrietate acquiri, conservari, & amplificari. Quid enim vitæ domesticæ emolumenti nō adfert Temperantia. Voluit Epicurus, naturam necessaria parabilia fecisse, difficilia autem, paratu non necessaria, reliquisse. si itaque juxta hanc naturā vivimus, si paucis contenti sumus: si aurum, purpuram, gemmas, reliquasque divitum delicias relinquimus, id quod est Temperantiæ; profectò vitam domesticam non parum utilitatis ex Temperantia capere, omnibus manifestum esse spero. In qua enim domo Temperantia viget, ibi rectè & quietè vivitur; res familiaris honestè augetur; quisq; suum facit officium; liberi in timore Dei educantur. Quàm vero misera illius domus est conditio, ubi Luxuria sedem suam fixit? ibi conjugij vinculum nullo modo constans erit & firmum; ibi patrifamilias cum uxore, cum liberis, cum servis nullo modo convenire poterit. quæ enim his omnibus vita erit, nisi Temperantiæ rationem habeant? si vir indies vino zythove madidus in uxorem invehatur, neq; eam pro comite indi-

individuo vitæ, pro divinorum humanorumque sociâ, sed pro scorto & ancillâ habeat: si uxor gulæ & genio indulgens implicare se alijs rebus, & viro partes præripere conetur, neq; se ei morigeram præbeat: nonnè hic uterq; parens liberos in servorum, servos in pecudum loco ac numero habebit, durioreq; eos, quàm fas est, imperio premet? nonnè liberi parentum, servi dominorum voluntati adversabuntur, eisq; obtemperare abnuent? Jam quis non videt, nullam in ædibus, tàm maligno sidere afflatis, benevolentiam, nullam pacem, nullam animorum consociationem: sed omnia perpetuò plena rixarum, discordiarum, querelarum, contentionum fore? ut in qualibet solitudine, in quamlibet vastis ac desertis, & ab omni hominum cultu ac consortio remotis locis suavior vita, quam in eâ domo, unde Temperantia exulet, esse videatur. Ita omnem fructum, omnem dulcitudinem, omnem amabilitatem vitæ, vitam deniq; ipsam tollit è vita communi, qui Temperantiam tollit. Ac de Ecclesiæ ministris quis dubitet? cum eorum propriũ ornamentum sit sobrietas. Itaq; & Divus Apostolus Paulus Episcopos monet, ut sint temperãtes. & Chrysostomus: nihil est, inquit, Dæmoni ita amicum sicut Ebrietas & Intemperantia; ante omnia autem vitetur à Clericis hæc, quæ mater est omnium vitiorum, omni-

omniumq; peccatorum radix ac nutrix. Quod si jam ex templis, ex scholis, ex privatis ædibus in Rempub. prodeamus; nulla profectò dicendi scribendiv è tanta vis, tantaque copia erit, quæ immensas & infinitas, quas ibi Temperantia parit, utilitates eloqui possit. Quid enim admirabilius, quàm modestia magistratus? quæ profectò in tenebris jaceret, nisi Temperantiæ lumen accederet. quid melius, quàm consilium Deo gratum, hominum generi salutare reperire? quid præclarius, quàm summorum Regum aut Principum consilia regere, aliisque quid agendum præcipere? quid stabilius, quàm universam hominum multitudinem in officio continere? quid utilius, quàm legibus atq; armis disciplinam ac pacem tueri, rebusque omnibus benè constitutis summâ tranquillitate, doctrinæ cœlestis studio cultibusq; divinis posse vacare? atqui harum rerum omnium effectrix ac gubernatrix est Temperantia. Jam verò quantum illud esse putabimus, quod nulla re conciliare facilius benevolentiã multitudinis possunt ij qui Reipub. præsunt, quàm abstinentiâ & continentiâ? Temperans enim Princeps est sapiens, & ad gubernandum aptus: siquidem sapiens anima, ut Heraclitus inquit, sola habitat in sicco: nec facilis aggressu est princeps sobrius, sed ebriosus. Id quod multis exemplis ijsque gravissimis cum

sacris, tùm prophanis demonstrari posset, nisi temporis ratione habitâ brevitati studendum esset. unicum aut alterum tamen attingam. Epaminondas reliquis civibus convivantibus muros lustrabat, vigilare se dicens, ut alijs ebriis tutò dormire liceret. itaq; se & suos servabat. at Holofernes & Magnus Alexander; & duces pertißimi & imperatores fortißimi, maximisq; rebus gestis omnibus propè formidabiles; non potentißimorum copijs innumerabilibus, non hostium virtute, non insidiis, non impetu aliquo, non denique ullis secundis aut adversis frangi, ac debilitari potuerunt: sed explendæ libidinis studio cum gravißimis sceleribus obstricti essent, miserrimè tandem perierunt, & omnium victores vino victi sunt. Quid de Trojâ dicam, quæ non nisi vino somnoque sepulta capi & expugnari potuit? ô intemperantiam, ô luxuriam, ô ebrietatem! Per te multæ urbes, multi Reges, multi principes periêre. tu Reip. omnia consilia, tu sanitatem, tu mentem eripis. tu eam omni præsidio, omnibus armis, licet sit munitißima, exuis. tu eam, licet invicta sit, hostibus diripiendam tradis. tu urbium es clades, & ruina. Sed ô Temperantiam rem divinam; ô rem præclaram! Tu Reges & Principes servas! tui fructus in vitam cujusq; nostram quàm latißimis spacijs se extendunt! tu urbes & mœnia custodis

stodis! Est enim, Auditores, temperantia membrorum omnium corporisque nostri tutela: est mater sanitatis, cum contra luxuria cernas expugnari vires, adeò ut nescias an ob hostibus, an verò ab illa capi pernicioſius habendum sit. Itaq; & Arabes Temperantiâ valetudinem tueri multaque exercitatione ad invictum robur habiles artus confirmare, à Jovio scribuntur. & Herodius Selymbrianus, Platone auctore, cum esset imbecillo corpore, se Medicinæ tradidit, & in curâ corporis totus occupatus id effecit, ut ad summam usq; ætatem perveniret. Illud verò quis non jure miretur, beneficio temperantiæ præparari animum, ut possit intendere cogitationes in res divinas, in studia, in consilia Reip. utiliter danda? etenim ex immodicâ ingurgitatione orti halitus, ijq; turbidi & densi, multipliciter lædunt actiones mentis, vertiginem q; & stuporem etiam in jejunis efficiunt. stupor enim & insania vino concepta etiam sine vino durat. quare & crapula Græcis dicta est, quod caput feriat atq; concutiat. etenim corpus onustum, ait Flaccus, hesternis vitijs animum quoq; prægravat ipsum, atq; affligit humi divinæ particulam auræ. & Isidorus, gulæ, inquit, saturitas aciem mentis obtundit, ingeniumque evertit. sobrietas autem est doctrinæ capax, studiorum bona disciplina, ingeniorum magi-

stra, percipiendorum pediſſequa. Sed nimirum majus eſt in hac virtute quiddam, quàm multi opinantur. hujus enim præſentia facit, ne impediatur Dei invocatio, quæ ab ebrijs præſtari nullo modo poteſt. omninò enim oportet invocationem, quæ rectè fieri debeat, eſſe ſobriam. Affirmat id magnus Apoſtolus Paulus, cum jubet nos orare omni tempore in Spiritu Sancto, & illi ipſi rei excubare cum omni perſeverantia & ſupplicatione pro omnibus ſanctis. Audis in Spiritu Sancto eſſe orandum, & quidem non hoc aut illo temporis puncto, ſed ſemper eſſe orandum. Sine Sobrietate autem quis unquam particeps fieri Spiritus Sancti poteſt? quis in precibus conſtanter excubare atq; invigilare? nam qui totus eſt in precibus, eum oportet ſedulò pieq; cogitare quid dicat: quod ipſum quidem ſolus ſiccus & vigilans præſtare poteſt, non temulentus, qui ſe ipſum etiam ignorat, cujus ſunt dubia parumque explanata verba, incerti oculi, gradus errans; deniq; qui, quemadmodum fumus apes, ſic dona Spiritus Sancti abigit ſua crapula. Quare qui in Spiritu orare vult, eum oportet eſſe cibi potusque parciſſimum. Atq; hoc eſt, quod omnibus temporibus ſancti & optimi quiq; in genere humano in jejunijs ad Deum clamaverunt. Joſaphat ferias eſuriales omnibus populis, ut oratio ad Deum ardenter fieret, indixit

dixit. Israëlitæ in jejuniis confitebantur peccata sua. Paulus & Barnabas orabant cum jejunantibus. Ninivitæ cum Rege suo nihil gustabant, sed operti ciliciis Deum inclamabant fortiter, atq; exaudiebantur O Temperantiæ vim planè divinam! Age verò, ne his divinis utilitatibus temperantiam solum metiamur; convertamus animum, & alia quoq; ejus bona circumspiciamus. Verè enim ubi hæc sedem fixit, virtutū omnium exercitia esse possunt. Quis enim in Sardanapali prostibulo locus sit ulli honesto? cui ut luxuria fores occlusas habet, sic ad omnia scelera facem suis præfert. Audiat ergo quæ tàm flebiliter, tàm tragicè de ipsa dicuntur: Luxuria est inimica Deo; inimica hominibus. &: maximas virtutes jacere oportet voluptate dominante; nihil altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas cogitationes omnes abjecerunt in rem tàm humilem, tàm contemtam. In Regno verò Temperantiæ omnes virtutes florent: omnes, velut in campis latis uberrima vitis, laxis se effundunt habenis. Itaq; ibi libidinibus frenum injectum videas, affectibus catenas, desideriis pravis compedes. contrà autem mentem tranquillari; prudentiæ, justitiæ, castitati, & modestiæ unicè operam dari, idq; agi, ut ratio præsit, appetitus obtemperet. Ex quo & hoc consequitur, ut his in quibus

bus moderatio & continentia apparet, minimè perti, meſcenda ſint pericula, in quæ ſe ebrij videntes ſcientesq; invergunt. Vinum & ebrietas auferunt cor, vox eſt Oſeæ vatis. Ebrius ſpontaneo ſervit dæmoni, ait Baſilius. Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt, edictum eſt Apoſtoli. &, Væ, inquit Eſaias, qui manè ſurgunt ut potationi indulgeant; pandet orcus ſuum ſpiraculum & fauces diducet in immenſum: eoque deſcedent clari juxta atq; plebeij. O dura, ô acerba, ô tragica dicta! quibus niſi gurgites hi & abdomini ſuo nati, petulantiã ſibi excuti patiantur; niſi his moti ſe ſobrietati dederint excolendos totos: quid profectò aliud præmij, quàm eandem, quæ id farinæ cæteros oppreſſit, calamitatem, ſibi conſtituent accelerabuntque: quæ quanta ſit, quàm dira, ne quidem cogitari poteſt. An non enim luxuria primo mundo induxit cataclyſmum illum, quo non modò homines ſed etiam beſtiæ, inaudito exemplo, miſerabiliter perierunt? An non hæc eadem Sodomam ac vicinas urbes novo genere pœnæ, flammis de cœlo ruentibus, funditus delevit, locisq; iſtis veſtigia iræ divinæ ſempiterna impreſſit? Nonne hæc eſt, propter quam Sichem cum toto populo interemtus? Judæus & Midianitis uno per utriusq; corpus adacto pugione tranſverberati? tribus Benjamin, miſerrimè afflicta? Filij

ſacer-

sacerdotis Heli in bello prostrati? ut taceam alios, quos tetræ libidines in idem barathrum præcipita verunt. Harum pœnarũ securus est Temperans: ab hujus barathri, tàm immanis, patefactis faucibus diducto rictu nihil est, quod sibi metuat is, qui sobrietatem colit: quam Deus noster tanti facit, ut in hac etiam vita multiplicibus bonis sæpè ornet. Quod si hoc non esset, siq; intemperantes & luxuriosi quidem hîc abundarẽt omnibus copiis, in summa opum atq; bonorum affluentia viverent, fortunam sibi suo arbitrio fingerent ac temperarent: temperantes autem odium, contemtus, egestas, exilia, orbitates, damna deniq; omnia sequerentur: tenere tamen mordicus debemus id, quod à Platone divinitus traditum ac dictum est; temperantes, etsi omnes fortunæ acerbitates excipiant, semper beatos; intemperantes vero etiam in maximis prosperitatibus secundissimisque rebus infelicissimos esse. Quamobrem, cum tanta sit Temperantiæ honestas, tàm mirifica ipsius ad singula vitæ genera utilitas, tàm inevitabilis necessitas, nemo erit in semetipsũ adeò injurius, qui non summis viribus, omnibus nervis, totoq; studio ad hanc unam contendat, aspiret, anhelet. O vitæ Temperantia dux! ò virtutum parens, ô animorum imperatrix! Tu remp. venustas: tu vitam privatam decoras: tu omnibus hominibus

nibus es ornamento. beatos, qui ad te tanquam ad portum confugiunt, qui se tibi penitus toto sq; tradunt: miseros verò, qui, ut proci Homerici spreta domina ancillarum amoribus irretiti, te, quæ virtutum mater es, negligunt contemnuntq;. DIXI.

ORATIO XIII.

DE

Veritate.

Pronunciata est 16. Julij Anno 1614. à Friderico Heinio Rostoch.

CRedo ego vos mirari, auditores, quid caussæ sit, quod ego in hunc vestrum omnium consessum potissimum veniam, is, qui adhuc adolescens, ætate & autoritate minus valeam, qui vix primoribus labris præcepta artium degustasse videar: quiq; omnes, quos hic adesse cerno, doctrina, rerumq; usu multiplici me longè præstantiores esse judicem. Quid ergò? audacissimus ego ex omnibus? minimè: at tantò quàm cæteri popularis gloriæ studiosior? ne quidem istius laudis sum cupidus. nam si unquam ullum vitium odio sum prosecutus; certè etiam audaciā; & si unquam rem fœdam & detestandam duxi; certè vanam gloriæ cupiditatem talem esse existimo. Quæ me ergò res præter cæteros, ut in vestrum frequentissimum

num conſpectum prodirem? quid me impulit, ut arduum hoc, cui ingenio & eloquentia me imparem eſſe facilè agnoſco, dicendi munus in me ſuſceperim? ſolum, auditores, ſolum diſcendi ſtudium me huc allexit: quod quis unquam repertus eſt, qui auſus fuerit, vel ſaltem in ijs, qui provectioris ætatis ſunt, reprehendere, aut in hac ætate mea, quam diſcendi cupido quàm maximè decet, damnare? Accedit huc præſidis voluntas, & collegij hujus ratio, quam utramq; negligere & aſpernari nec debeo, nec fas eſt. Veſtra quoq; omnium inſignis & ſpectata humanitas, Auditores, quam ego mihi planiſſimè perſvadeo, non parum alacritatis in hoc negocio moliendo mihi addidit. Quæ cum ita ſint, non potui non maxima cum animi voluptate & promtitudine hunc locum honeſtiſſimum occupare: nec credo quenquam veſtrum hoc mihi vitio poſſe vertere. Dicam autem de aurea illa & nunquam ſatis laudata virtute, de Veritate: quantumq; ea bonum ſit, oratione hac tenui & exili demonſtrare conabor. Vos, auditores, ut pro ſolita veſtra benevolentia, ad exigui temporis momentum, benignas mihi præbeatis aures, etiam atq; etiam vehementer rogo. Ut autem, quò ad ejus fieri poſſit perſpicuè atq; ſuccincte vobis hanc rem ob oculos ponam, rectiſſimo pede mihi progredi videor: ſi initium à dignita-

gnitate Veritatis faciam. Sicut enim malum illud rectè æstimatur, cujus turpitudo est magna: quantò namq; major est turpitudo, tantò fœdiùs ipsum est malum: ita quoq; meritò eximium censebitur bonum, cujus magna est dignitas. Dignitatem autem Veritatis nobis luculentissimè depingit illud, quod Stobæus de sapientissimo Philosopho Pythagora refert; qui aliquando interrogatus: quid Deo simile facerent homines? cum Veritatem exercent; respondit. quo ipso nõ obscurè innuit philosophus, id, in quo Veritas versatur, planè esse divinum. nec à scopo exorbitasse putandus est. Res enim circa quas occupata est Veritas, ita sunt comparatæ, ut ijs in universo hoc mundi theatro, nihil dignius, nihil majus, nihil utilius, nihil honestius, nihilque præclarius inveniri queat. Veritas etenim in summa & infima scientiarum adita censurâ sua se penetrat: in doctrinam de Deo, in Jurisprudentiam, Medicinam, Philosophiam, cætera omnia, quæ in vita humana in templis, in scholis, in Republica, in Judicijs, in foro, in Senatu, in aulis, in contractibus, in privatis colloquijs & ubivis locorum aguntur. circa has res versatur Veritas: cum his ut negotium habeat, hoc ejus est officium. De his etenim rebus virtus hæc non solum veras sententias, hoc est, cũ rebus congruentes diligenter investigat, amplectitur, amat &

con-

constanter retinet: sed etiam explicata & salutaria constanter dicit & facit: deniq; in tota vita curat, ut id quod corde sentitur, etiam ore & verbis, & actionibus & moribus proferatur, atq; edatur. Hoc ipsum philosophus exprimere voluit, quādò Veritatē definit: ἐρωνείας καὶ ἀλαζονείας μεσότητα, καθ' ἣν ὁ ἀληθὴς, ὅτι μάλιστα ὑπαρχόντων, ὅτι ἐλάττω φαίνοιτ' ἄν εἶναι: ἀλλὰ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ ταῦτα φήσει εἶναι καὶ ἐνδείναι. Eo autem quo diximus modo in rebus verbis, actionibis & moribus, veras sententias sequi & servare, res maximi est pretij, maximæq; dignitatis. Quis enim Deo nostro, qui, ut Psaltes regius inquit, elatus supra omnes gentes, & altissimè habitans, respicit ad omnia, quæ in cœlis sunt & in terra; quis huic Deo nostro major honor tribui potest, quam si de eo statuamus & sentiamus, quod ipsi, sicut se patefecit, verè convenit? aut quid artibus liberalibus, unde ipsis dignitas major existat, fieri potest gratius, quàm si in unaquaq; earum veras sententias investigemus, easq; tùm in docendo tùm discendo tueamur ac sequamur? aut nobis ipsis dignius nostræq; naturæ convenientius, quàm sermones, gestus & actiones omnes ita moderari, ut ipsa habeant in se congruentiā, cum cogitationibus, cum voluntatē, cum mente, cum affectibus nostris? Quare Veritatis maximam dignitatem & præstantiam esse necesse est. Dignitatem enim rei ex objecti dignitate rectissi-

mè æstimari, quis est, qui ignoret? Objectum verò Veritatis rem solidam esse, & non inanem verborum strepitum, etymologica quoq; ipsius & à Latinis & Pelasgis frequẽtata ratio, abundè insinuat. Veritas n. à vero deducitur: verum autem à particula VE, quæ vehementiam significat; & nomine RES deductum esse autumant. alij à Vere derivant: quoniam sicut verno tempore ☉ in ♈ ingresso, omnia verè nascuntur, quæ alijs anni temporibus sæpè deficiunt: ita ajunt Veritatis splendore, quæ alias jactantiæ & intempestivæ extenuationis vitio quasi suffocata videntur, reficì, iisq; animalem vitam restitui. Græci autem ἀλήθειαν dixerunt, quasi ἐ λαν θάνουσαν· ut significarent tantam esse ejus dignitatem, ut ullo modo latere non possit. Expressit hanc vocis vim Tertullianus, cum non minus eleganter, quàm verè dixit: Veritas nihil erubescit, nisi abscondi: cui geminum est illud Senecæ: veritas nunquam latet: sed ipsum tempus Veritatem in lucem aliquando extrahit; & ita tandem virtus hæc laudabilis palmam obtinet. Quemadmodum enim sol in meridie, nullis nubibus tectus, celari non potest, sed omne quicquid est nebulosum, calentibus suis radijs dissipat: ita Veritatis splendor, ullis mendacij machinis anteverti nequit: sed in tenebris serpens mendacium in apricum producit. Nec refert,

inter-

interdum mendaciorum onere premi eam; tantum enim abest, ut penitus supprimatur; ut quò magis premitur, eò dilucidior & luculentior evadat: non secus atq; aurum, quod, quò magis ignis fervore coquitur, atq; recoquitur, eò purius & splendidius fieri assolet. Veritatis enim & sapientiæ ea est pulchritudo, ea, quam ab auctore suo accepit, vis & potētia, ut nullis machinis, aut ullius hominis ingenio, aut arte subverti possit: &, licet nullum patronum aut defensorem obtineat: tamen per se ipsa se defendat: aut multorum improbitate depressa emergat & intercluſa respiret. O magnam vim veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contra fictas omnium insidias, facilè per se ipsa consistit! Sed & illud quoq; Auditores, dignitatem hujus virtutis mihi vehementer commendare videtur: quod fundamentum habeat prorsus divinum. Non enim comparatur auro & argento, nec cæcis rationis nostræ cogitationibus effingitur veritas, sed divinitus in mentibus hominum expulso mendacio, cujus omnes homines naturâ rei sunt, accenditur. Spiritus enim Sanctus, quicquid in homine est boni, ejus unicus & solus est auctor. Quia igitur Veritas Spiritum Sanctum auctorem habet, omni jure filia Dei appellari potest & debet. Atq; hæc causa est, cur

nobis Veritatis culturam scriptura tàm seriò commendet. Veritatem, inquit David, requirit Jehova —. & Zacharias, veritatem & pacem diligite. & Paulus, vas Dei electum: Veritatem facientes in charitate crescamus. Intelligitis ex his, auditores, quanta sit Veritatis dignitas, quantaq; præstantia. Annon enim dignum illud omniq; laude cumulandum putabimus, quod à Deo ortum suum habet? quod in Deo ipso, tanquam primo fonte immutabiliter hæret? Annon præclarum, quod hominibus amandum & tuendum Jehova præcepit: O Veritatem virtutem maximam! O preciosissimam! quæ in altissimi Dei sinu asservatur! Quis enim, Auditores, veritatis præstantiam in dubium vocaret vera religione imbutus, cum & superstitio Ethnica, ut ex Menandro videre est, crediderit, Veritatem cœli civem esse, & solam frui cõspectu Deorũ? Nemo id opinor faciet, sed omnes mecum statuent, Veritatem, quia Dei progenies est, esse rem augustissimam. Ac profectò si pomum, (si parva magnis componere licet) à pulcherrima arbore productum, non potest non esse pulcherrimum, propter arborem bonam: & oratio ab insigni Rhetore composita, non potest non esse elegans, propter Rhetorem insignem: cur nec Veritas sincera à Spiritu Sancto in cordibus hominum accensa, non sit præstantissima

pro-

propter Spiritum Sanctum? Ac si in civili societate dignum & precioſum æſtimatur, quod ſecundum rectam rationem & legum normam à viro ad gubernacula Reipublicæ ſedente proficiſcitur: quantò precioſius & divinius habebitur id, quod ab eo, qui ad gubernacula cæli & terræ ſedet, ipſiſſimo nimirum Spiritu Sancto provenit? Quin imò ſi mendacium, propterea turpe & fœdum cenſetur, quia Diabolum auctorem habet: cur non ex adverſo rem ſacram & dignam agnoſceremus Veritatem? cum hujus fons & auctor ſit Dominus dominantium & Rex regnantium? Quare vel hinc manifeſtum eſt, Veritatem rem eſſe precioſiſſimam. Nec verò parum facit ad præſtantiam Veritatis, quod in ea plurimas virtutes ineſſe, res loquitur. Eſt enim ex Juſtitia, Conſtantia & Modeſtia, quaſi confecta & conflata Veritas. Primo etenim Veritas, quæ & qualia, quantaq; quæ habeat, bona ſint, profitetur: id quod eſt juſtitiæ: deinde in omni vita & ſermone per omnia ſibi eſt ſimilis: id quod eſt conſtantiæ: ſua deniq; non multum jactitat, ſed extenuat potius: id quod eſt Modeſtiæ. Optimum certè ex optimis rebus temperamentum. Etenim quid Juſtitia? virtus eſt, quæ jubet & Deo obtemperare & civili hominum ſocietati conſervandæ ſtudere, honeſtis legibus obedire, & in di-

distribuendis tum præmijs tum pœnis tum officijs, id, quod unicuiq; debeatur, exequi. quid constantia? virtus est quæ facit hominem in honesto & laudabili proposito immotum persistere, & vera justa & necessaria in officijs vocationis, in docendo, in moribus, in consilijs, in actionibus, in operibus amicitiæ debitis, semper sequi & defendere. Quid modestia? virtus est, quæ in honoribus servat mediocritatem: quæ hanc vitam amore mutuo sociat: pacem, concordiam procreat, procreatam stabilit, stabilitam conservat: quæ gestus, sermonem, habitum corporis, vestitumq; ita temperat, ut servetur ordo naturæ, temporibus, locis, personis & alijs circumstantijs congruens: quæ immodestiam comprimit, vitium illud abominandum, quod semper ad immodicos & non concessos honores homines rapit: ut plus sibi tribuant, quàm propriæ imbecillitati conveniat: ut immodicè & falsò de se prædicent: ut alios sibi antecellentes contemnant, tollant; idq; tantum propter hanc causam, ne videlicet inferiores ducantur. atq; ut paucis me explicem, quæ immodestiæ fructus, invidiam, odium, iram, discordiam & bella extirpat. Ex qua nobilissima triga, ex Justitia, Constantia & Modestia cum quasi conflata & composita sit veritas: omnium profectò bonorum bonum erit præstantissimum: quod si è

vita

vita tollas, solem è mundo sustuliſti. si exulatum pessumq; ire jubeas; omnem simul honestatem, omnesq; virtutes eâdem operâ relegasti: cui si valedicas, pace repulsa, pomum contentionis hominum vitæ objeciſti. O Veritatem omnium virtutum virtutem primam & maximam! quis tuæ dignitati enarrandæ par est? cui virtutum tuæ æquiparandæ? justitia, constantia, modestia tu ipsamet es: tu reliquum omne, quod virtutis appellationem sortitur, infinitis parasangis post te relinquis. ô virtutem dignissimam, ô preciosissimam, ò omnibus hominibus amplectendam virtutem! Atq; hoc, Auditores, ita esse, inde patebit, si mendacij, quod Veritati contrarium est, considerationem paulò exactiorem ingrediamur: cujus mali fœditas & atrocitas tanta est, ut nulla unquam major. Patrem enim, quem agnoscit? nunquid alium, quàm ipsissimum Diabolum, antiquum illum draconem, & versutum serpentem? Hic enim, ut osor est omnis veritatis, & ab initio in veritate non stetit: sed relicta propria statione ad mẽdacij castra prolapsus est, Deoque creatori vera dicenti fidem adhibere recusavit: ita idem quoq; malũ hoc homini mox instillavit, eoque ipso mentes eorum ita miserè corrupit & pervertit, ut tantum natura sua ad mendacium propendeant, omnisque generis errores longè lateq; dissemi-

nent: ut, quemadmodum Satanam parentem, sic matrem mendacij depravatum hominis ingenium omni jure appellitare possis. egregios (me Hercule) procreatores! an ulla res Sathana detestabilior, an perversa hominis voluntate malignior excogitari potest? Nec est, quod in dubium vocare velitis, utrum hi an alij sint mendacij genitores. Audite enim, quàm nec ille ipse Satan hoc dissimulet; sed aperto diductoque gutture proclamet: exibo, ait alicubi apud Vatem; & Spiritus mendax ero in omnium Prophetarum ore. Multum est, inquiunt Jurisconsulti, habere confitentem reum. cum igitur ipse dæmon, detracta & deposita larva, proprio atq; nativo habitu in proscenium hic sese statuat, utut aliàs in angelum lucis transformare se studeat: ecquem latere potest, illum ipsum esse primam causam, fontem & scaturiginem omnis falsi? Malam porrò hominum voluntatem, matrem mendacij esse; neminem vestrum esse existimo, qui diffiteri possit, modo paulò diligentius expendat universalem illam accusationem, quam ex regio, Spirituq; prophetico pleno, Psalte Apostolus Paulus repetit & inculcat, cum omnem hominem mendacem esse præconio suo affirmat. & quod omnium sapientissimus Salomon habet: suavem esse homini panem mendacij. Cum igitur mendacium patrem Diabolum omnis

omnis mali causam, matrem verò corruptam hominis voluntatem agnoscat, quàm turpis, quàmq; pudenda res sit mendacium; neminem vestrum fugere arbitror. sicut enim à ficu non expectantur tribuli, nec à spinis fici: sic nec à Diabolo & prava hominis voluntate, quod pulchrum & laudabile est, expectari, nedum sperari potest. Ut autem mendacium fructus Diaboli est planè turpis: ita quoq; & ipsum non minus turpem in vita humana relinquit effectum. Intueamur quisq; se ipsum. Creatis nobis ad imaginem Dei: in mente nostra perfecta tàm essentiæ, quàm voluntatis divinæ notitia refulsit: in voluntate erat amor Dei ardens, sanctitas & justitia vera: in corde affectuum cum lege Dei conformitas & sine ulla dissensione & perturbatione tranquillitas, inferiorũ virium cũ superioribus suavis consensio: in corpore constans sanitas & immortalitas: ut ita in his terris Dei singulari concessu & dono summa hominis beatitudo esset, & felicitas. Hæc conditio humani generis fuit, antequam laberetur. At quid nunc, postquam sumus lapsi? vah! quàm ingens sese hic offert metamorphosis! mentes nostræ tenebris sunt obductæ, in spiritualibus cæcæ, non capientes quæ sunt Spiritus Dei. voluntas nostra aliena & aversa est à Deo, legi Dei inimica & rebellans: virium deniq; inferiorum

rum & superiorum horribilis inter se dissonantia & pugna. Ex quo factū: ut homo, antea gerens Dei imaginem, nunc Sathanæ larva sit indutus: antea filius gratiæ, nunc sit filius iræ: antea expers & immunis omnium miseriarum; nunc infinitis penè ærumnis & malis sit expositus & obnoxius; non secus atq; in eis esset natus. Ast unde, quæso, tam horrenda, tam stupenda, perpetuisq; lachrumis deflenda transmutatio? unde illa omnium virium hominis corruptio? non sanè alia & evidentior hîc causa dari potest, quàm mendacium, quo Diabolus verbum Dei detorquens & depravans protoplastis nostris nefariè imposuit. Atq; etiam num hodiè omnes falsæ opiniones & dogmata de Dei essentia & voluntate, cum norma veritatis verbi divini non congruentia: opiniones Epicureæ, Academicæ & Stoicæ ex mendacio oriuntur. In Ecclesiæ enim hæreses & errores multiplices: in foro calumnias, accusationes, perjuria, falsa testimonia, perfidiam in non servandis promissis, fœderibus & amicitijs, mendacij flabellum excjucitat; atq; ita quicquid in omni re est polchrum, illud mendacium miserè corrumpit: quo ipso cuivis fœditatem suam satis superquè conspicie ndam exponit. idquè ita esse, testimonia tum sacra tum profana declarant. Furem esse, ait Syracides, est, turpissimum: sed longè tur-

turpius est mendacium. & Aristoteles λόγον τὸ ψεῦδος. scriptum reliquit. Quod si fœdum & detestabile est mendacium: veritatem ex adverso rem præstantissimam & honestissimam esse, certum est & manifestum. Quod ipsum quoque ex multiplicibus fructibus videre est, quos in genus humanum veritas effundit. quicquid enim est, viget & floret in vita humana obedientiæ & honoris erga Deum, veritatis auctorem: hoc unicè præstat Veritas. Unde enim est, quod Deum rectè agnoscimus? ex veritate: Unde est, quod Deum in quotidiana invocatione à Diabolo, qui est pater mēdacij, & ab hominibus, quibus proclive est errare & fallere, discernere possumus? à Veritate. Quid artes, quæ sunt fontes omnium in vita bonorum constituit? Veritas. quid constitutas propagat? Veritas. quid propagatas fideliter retinet & conservat, & ut vera, recta & ad vitæ gubernationem utilia ac necessaria, omissis φλυαρίαις & vanis subtilitatibus perspicuè tradantur, efficit? Veritas. Veritas Respub, veritas omnes partes gubernationis Politicæ, veritas judicia, conjugia, facultates denique hominum defendit. Veritas pacta, quibus violatis societas civilis salva esse non potest, servat. Veritas efficit, ut amicitia coli, & contractus seu communicatio rerum ad vitam sustentandam necessariarum fieri possit. Veritas fa-

cit, ut pœnas mendacibus propositas vitemus, atque præmia veracibus promissa assequamur. O magnitudinem meritò admirandam præstantissimorum fructuum, quos parit Veritas! O maximam illius præstantiam! Itaq; & Veritatem viri laudatissimi ac præstantissimi & factis coluerunt, & verbis celebrarunt. De Persis memoriæ proditum est, quod cum filios suos adeò sanctis imbuerent moribus, ut illorum disciplinæ nil addi posse videretur: tùm per omnes ætatis gradus id præcipuè suis inculcarint, ut fugientes mendaciũ vera semper loquerẽtur. De Abbate quodã tria commemorat Heraclides: quod nunquã sit mentitus: nunquã alteri maledixerit: nunquã citra necessitatem locutus sit. Et de Tito Pomponio equite Roma & amico Ciceronis scriptum est: eum mendacium nec ipsum dixisse, nec pati potuisse: ex quo factum, ut omnes ei res suas amici curandas certatim darent: consiliumq; ab eo de Republica, deque rebus magnis peterent. Quid memorem primores in Ecclesia Jesu Christi viros? quid alios laudem Sanctos? Apostoli profectò vestigia magistri sui prementes mente atque animo in veritatem institerunt adeò constanter, ut vitam sanguinemq; profundere, quàm latum unguem ab ea discedere maluerint. idem martyres fecisse legimus: quos gravissimos cruciatus & ipsam tandem

dem mortem animosè perpessos, satisfeciſſe conſtat Syracidis præcepto: defende veritatem uſq; ad mortem, & dominus pro te dimicabit. Quemadmodum autem ſemper magni nominis viri factis & opere ipſo: ſic laudibus quoq; & ſermone Veritatem extulerunt. qui Veritatem loquutur, inquit David, in corde ſuo, & non detrahit in lingua ſua, habitabit in tabernaculo Domini: & Salomon: de fructu oris ſui unusquisque implebitur bonis. labium Veritatis firmum erit in perpetuum. labia mendacij, abominatio Domini: qui autem fideliter agunt, placent ei. & paulò poſt: aurum, gemmæ; vas autem preciosum labia ſcientiæ. Pari modo homines prophani & gentiles miris eandem commendarunt modis. Ita enim comicus ille Græcus Menander exclamat.

Ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τἀληθῆ λέγειν
Ἐν παντὶ καιρῷ. Τοῦτ' ἐγὼ παρεγγυῶ
Εἰς ἀσφάλειαν τῷ βίῳ πλεῖστον μέρος.
Eſt tempore omni vera proloqui optimum;
Hoc facere adhortor, quippe quod ſit roboris
Securè ad ævum tranſigendum maximi.

& ex Mercurio recitatur ſententia: quæ confirmat, Veritatem abſolutiſſimam eſſe virtutem ipſumque ſummum bonum, quod nec à materia turbatur, neq; corpore circumdatur; nudum, conſpicuum, auguſtum, mutationis & alterationis expers bonum. Demonſtravi, Auditores, quanta ſit Veritatis dignitas, quamq;

quamq; præstans bonum, quamq; utile sit generi humano ad omnes vitæ partes, ad cõtractus, ad judicia, ad scholas, ad Ecclesias rectè cõstituendas, ad civilem societatem laudabiliter celebrandam: deniq; ad suam cujusq; salutem bonum; vera dicere & sequi. O Veritatem rem optimam, maximam! tuũ fundamentum divinum planè & supernaturale! tui fructus multi sunt & immensi! Deum autem, conditorẽ cœli & terræ, fontem omnium virtutum, ardentibus votis invocamus, ut languentes & torpentes animos nostros rore Veritatis perfundere dignetur: ut in Ecclesia religionis sinceritas: in scholis artium & scientiarum puritas; in foro, judiciorum rectitudo; ubiq; morum & actionum honestas floreat, vigeat, & ad seram posteritatem propagetur. DIXI.

ORATIO XIV.

DE

Dignitate & utilitate

ELOQUENTIÆ.

Pronũciata est à VVinando à Peterstorff equite Marchico 28. Octobr. anno 1614.

NEMINEM vestrum puto, Auditores, esse, qui non sit in ea sententiâ, ut existimet, operæ pretium facturum eum, qui in hoc laudabili consessu, luculenta & perspicuâ oratione demonstret, quid de his ipsis exercitationibus sentiendum sit:

dum sit: anne ex re & utilitate studiosæ juventutis sit, in eo operam, studiumq; insumere: ut unicè illam benè copioseque dicendi facultatem, quam Eloquentiam vocāt, quamque nos omnes unicè deperimus, nobis comparemus acquiramusq;. Semper enim ab omni ævo reperti sunt homines rudi agrestiq; præditi ingenio, qui præclarum Eloquentiæ studium omnibus rebus posthabent, sibique unicè persuadent, malè perdi tempus omne, quod ei impenditur. His ut obviam eamus, contra hos ut animos nostros salutari antidoto obfirmemus; omnino necessarium esse existimo. Quod si quis fortè sit, cui hæc opera nostra supervacanea videatur, nec interesse, hanc rem paulò accuratius à nobis pervestigari: sed potiùs gravius aliquod argumentum ad dicendum eligi debuisse; hoc tanti non esse, de quo in vestra præsentia verba faciamus: annon hunc in rerum maximarum utilissimarumq; ignoratione versari, mecum essetis judicaturi? Quanquam verò Aud. in me non reperiam tantam dicendi facultatem, ut vel mediocriter tantum de Eloquentiæ laudibus dicere posse mihi videar, multò minus ipsius dignitatem ab inimicorum convitijs asserere possim, proinde metuam ne onus à me susceptum humeris meis impar sit futurum, cui ego non sim ferendo: tamen mirum in modum solatur me vestra

humanitas, quàm antè me alijs quoque exhibuistis; ex quâ spes latior mihi affulget, id quod ex mea tenuitate orationi huic defuerit, vestro id favore suppletum iri. Hâc spe fretus, non faciam longius, quin id quod in me semel suscepi, perficiam. paucis enim ostendam, & quantum potero, clarum faciam, Eloquentiæ omninò studendum esse, optimèq; locari hanc operam, quæ illi impenditur. Vos, Auditores, tenuem orationem favore & benevolentiâ vestrâ benignè excipite, & ad brevissimi temporis usuram vacivas vestrarum aurium ædes nobis præbitote. Atq; ut hinc potissimum dicendi initium faciam: dico, Eloquentiam rem esse longè dignissimam, quæ suâ præstantiâ nulli præclaræ rei vel minimum cedat, multis meritò præferenda. Quid enim aliud est Eloquentia, nisi benè sapienterq; dicendi facultas? Quid verò benedicere est, nisi posse oratione dilucidâ perspicuâ, ornatâ, gravi & amplâ, materiam ad dicendum propositam efferre? aut quid est sapientia aliud, nisi cognitio multarum rerum & maximarum disciplinarum, utilium ad finem vitæ humanæ? Vestram fidem obtestor, Auditores, est nè quis vestrum, qui vel verbis quidquam exprimere, vel mentis acie complecti possit, quod, his duobus junctis, h. e. oratione erudita, & rerum maximarum cognitione aut sit præ-

præstantius aut magis dignitate plenum? Quod si non est: quis amplius inficias ire poterit, Eloquentiæ maximoperè studendum esse? Etenim in confesso est, omniumq; hominũ animis firmiter infixum, omnem rem suâ naturâ præclaram, maximè dignam esse, in quâ exactè cognoscendâ homines omnem suam operam ponant. Nihil enim est, quod magis deceat ingenium hominis liberale, quàm in honestissimis rebus discendis omnes suos nervos intendere, in illis desudare, defatigari: præsertim cum naturæ hominum nihil magis adversetur, quàm inertia & rerum bonarum ignorantia. Quæ si ita se habent, (ut omninò se ita habent) fatendum meritò est, Eloquentiam, præ reliquis omnibus artibus & disciplinis, cùm alijs, tùm inprimis futuris illustribus in republ. viris diligenter addiscendam esse. Id quod nobiscum fatetur Cicero, virorum politicorum, quotquot unquam fuerunt, eloquentissimus, qui palam testatur, Principibus eloquentiam maximo ornamento esse. Ac profectò, si quis vestrum est, Auditores, qui unà mecum repetitâ omnium temporum memoriâ, in priscos illos & laudatissimos Reipubl. gubernatores inquirat aliquantò diligentius, quibus nimirum illi artibus maximè studuerint, qnibus rebus inclaruerint: is certè reperiet, si quâ ullâ aliâ, certè & eloquentiâ Heroas &

Semones illos excelluisse. An enim ignoratis Nestoris Pyliorum ducis Eloquentiam? quæ tanta fuit, ut in proverbium abierit: quo utimur, si quando simulem suaviloquentiam significare volumus. Huic enim viro, Poëtarum pater & princeps, Homerus, ut tria secula, ita plus quàm mellitam quandam facundiam adscribit, in præclarissimo opere, cui Iliada nomen: quos versus latinè redditos addam:

Post hos assurgit Pylius dux ille disertus
Nestor, cujus ab ore fluit vox melle liquenti
Dulcior.

Non dicam de Menelao Spartanorum Rege facundissimo: non Solonem Athenienssium legum latorem: non hujus æmulum Pisistratum commemorabo, viros tum sapientiæ, tum Eloquentiæ laude celeberrimos. Missum faciam Alexandrum M. belli istud fulmen, quem passim historici ad hanc classem referunt. Cajum Julium Cæsarem, qui Alexandro in nullo quoquam concedere voluit, vobis ob oculos pono. hic Plutarcho teste, elegantissimâ quadam præstantiâ florens, in perorandis causis tum maximam in plebe benevolentiam, tum secundum in urbe locum quæsivit. Hic ipse quàm venustè, quàm eleganter commentarios de bello Gallico conscripserit, novistis ipsimet, Auditores, qui in legendo facundissimo autore bonas horulas insumere consuevistis. Una de ijs doctorum

Etorum hominum est sententia, una vox: hoc ipso commentandi genere Cæsarem, non tam præbuisse, quam præripuisse scribendi occasionem illis, qui alioqui res ipsius præclarè gestas seræ posteritati literis consignaturi fuissent. Et ne in illis simus toti, quæ tantum à nostrâ memoriâ remota sunt: recentia & propè adhuc spirantia Eloquentissimorum Principum exempla; & quidem è dulcissima patriâ nostrâ Germaniâ huc adducam. Quis enim in literis versatus, ignorat aut Joannem Magnum, Marchionem & Septemvirum Brandenburgicum, quem propter mirabilem dicendi facultatem Ciceronem Germanicum appellarunt? aut hujus filium, Joachimum I. Archipræsulis Moguntini fratrem, Electorem item Brandenburgicum, dicendi facultate excellentem Heroem? quem constat in comitijs illis celeberrimis, quæ Anno 1530. Augustæ Vindelicorum celebrata sunt, & Campegium Cardinalem, Pontificis Rom. legatum, nomine clericorum, oratione latinâ & splendidâ excepisse; & legatis Liburnorum, cum opem Imperij contra Turcas implorarent, latinè: & legatis protestantium nomine Cæsaris Caroli V. ornate respondisse. ut taceam Joannem Fridericum, qui est in beneditione, & Philippum II. qui hoc tempore reip. præest, Duces Pomeraniæ, & alios per Germaniam clarissimos

rißimos Principes, laude Eloquentiæ insignes: suoq; exemplo comprobantes, tùm, quàm verè Cicero dixerit, Eloquentiam Principibus maximo ornamento esse, tum quæ sit Eloquentiæ dignitas, quanta amplitudo, quanta majestas. Quanquam verò verißima hæc & sana sententia nostra, tot tantisq; nitatur rationum momentis, tot tantisq; prudentißimorum politicorum testimonijs sit firmata: tot tantorumque illustrium Virorum factis exemplisq; approbata: attamen non pauci semper omnib. seculis sunt reperti, hodieq; reperiuntur, quibus præclarum hoc Eloquentiæ studium, non minus quàm sævum aliquod incendium, aut horridus aliquis cometa, usq; adeò est exosum, ut omnem, quam in eo ponimus diligentiam, non improbent tantum, sed damnent. Hi dicere non verentur: Eloquentiam rem turpem esse: siquidem eâ homines de industriâ datâq; operâ decipiantur; opprimantur boni & innocentes; mali defendantur; sontes ac nocentes pœnis meritis eripiantur; &, quod omnium maximum dictuq; horrendum, pax & tranquillitas ipsius Reip. turbetur subvertaturq;. nec enim, inquiunt, fieri aliter potest, ubi hæ artes florent, ubi innocentia jacet, feritas dominatur, quin respubl. ipsa brevi intereat. Itaq; citant Socratem, qui quidem solus sapere, non ab hominibus, sed ipso oraculo judicatus

tus, artem dicendi, artem coquinariam esse dicebat, artem obsonandi, artem fucandi. Quid enim, pergunt Eloquentiæmastyges, quid aliud agunt Oratores, egregij si Dijs placet viri, quàm ut suavissimorum verborum lautissimo apparatu Judices decipiant, tanquam cœna aliqua illos inescent, obsonia ipsis opponant, i. e. latranti cani offam aut panem obijciant? annon verò egregiè fucum judicibus faciunt? dum innocentem capitis reum agunt: cum eum qui capitis damnandus erat, tam scitè exornant & summis decorant honoribus, ut pœnas meritas ipsorum Judicum sententiâ & calculo facilè effugiat? gloriatur ipse Cicero Cluentium se judicibus puniendum eripuisse, nullâ aliâ arte, quàm hâc ipsâ, quam illi tantopere prædicant, eloquentiâ, nebulis scilicet eorum animis offusis. an verò aliter damnatus est Æschines vir alioqui probus & justus, quàm caninâ facundiâ ipsius Demosthenis, qui turbida Athenienſium cõsilia orationis flabro ceu vento quodam agitare consueverat? quid ipse Pericles, de quo Aristides dicere solitus est, ipsum reliquos oratores in dicendo sedecim pedibus præterijsse; & de quo Eupolis, Comicus inter Græcos non postremæ laudis, M. Tullio in Bruto teste, scribit, suadelam Deam in ipsius labijs sessitasse: quid ille tandem per Eloquentiam suam effecit, nisi quod orationis

tionis suæ facibus bellum Peleponnesiacum inflammavit, maximo totius Græciæ damno, quæ tum unocula est facta, urbisq; Athenienſium fato horrendo: ut rectè de eo Poëta dixerit: tonat, corruſcat, miſcet omnem Græciam. Hæc ſcilicet egregia laus eſt Eloquentiæ, hæc ſunt ipſius encomia, hæc oratorum clariſſimorum immortalis gloria. Mirum itaq;, ſi qui reperiantur, qui audeant rem pariter turpiſſimam atq; perniciosſimam ſummis laudibus extollere, cum potius deceat dehortari omnes eos, qui aliquandò præclaram reip. operam ſunt daturi, ut peſtilens hoc Eloquentiæ ſtudium, quantum poſſunt, fugiant, vitent, execrentur. Ita verò illi perversè de Eloquētiæ ſtudio ſentiunt, Auditores, Sed ſi nobis dicere liceat, id quod res eſt: profectò faciunt illi homines, ut nimis intelligendo nihil intelligere videantur. Homines enim iſti talpis cæciores, planè non advertunt, quantum diſcriminis ſit, inter hanc bene copioseque dicendi facultatem, quam Eloquentiam nuncupamus, quæ maximo mortalium bono inventa eſt; & inter Sophiſticam hujus æmulatricem. hæc enim ipſa Sophiſtica eſt, quæ hominibus adulatur, quæ palpum ipſis obtrudit, quæ illis fucum facit, quæ ceruſſam, quæ calamiſtros & plura id generis alia ad hominum perniciem adhibet. hāc peſſimus quisq; ad fallendum, decipiendum,

dum fraudandum utitur; hâc homines simplices, non aliter ac aucupis fistulâ stultæ aviculæ in retia, pelliciuntur; hâc sæpè prudentibus & circumspectis imponitur, hâc sontes proteguntur: hâc premuntur immeriti. hæc calliditatem adhibet: hæc omnia suis metitur commodis: hæc nihil sacrum, nihil publicum habet: huic omnia sunt profana, vilia, venalia. At contra Eloquentiam mihi vide: hæc Deo & hominibus grata & salutaria dicit: hæc pacis est comes ociiq; socia, & jam constitutæ civitatis velut alumna quædam, quâ boni viri ad commoda publica & privata provehenda laudabiliter utuntur: hæc sapientiam adhibet, rem divinam, suaq; naturâ laudabilem: quæ si hominum oculis conspiceretur, mirabiles sui amores & desideria in mentibus nostris concitaret: hæc deniq; omnia refert ad commoda vitæ humanæ juxta præscriptum & normam legum honestarum, quas orator sibi perpetuò proponit, ad earundem dictamen omnes actiones suas componit, & salutem populi supremam sibi legem esse patitur. Quis itaq; non videt, maximam Eloquentiæ cultoribus ab istis malè feriatis fieri injuriam, qui cœlum terræ, ignem aquæ miscent, naturæ bellum indicunt, res suâ naturâ diversissimas, Eloquentiam cum Sophisticâ confundunt, hujus vitia istius præstantiæ asscribunt? Itaq; quanti

ipsorum judicium nobis faciendum sit, lubens in medio relinquo. Par eorum insania est, qui objiciunt nobis exempla Demosthenis, Ciceronis aut aliorum, qui suis donis abusi eloquentiam à Deo immortali ad salutem hominum datam, ad bonorum perniciem convertêre; quiq; ipsi proprio periêre eloquio, ut Poeta inquit. quasi v. Eloquentia hîc peccârit, & non potius homo, qui illâ abusus est. Quanquam, si accuratè rem consideremus, non est hominis, sed ejus qui humanitatem exuit, si quis Eloquentiam, ad salutem hominum & conservationem datam, ad bonorum pestem peniciemq; convertat. Quod ipsum etiam D. Augustinus innuit, cum dixit: eloquentiam in homine pravo, esse venenum in poculo aureo. Rectè omninò vir sanctissimus, non ipsi Eloquentiæ; sed homini: & quidem non ipsi homini; sed homini pravo adscribit, si eloquentia præter naturam, sinèq; suâ culpâ quibusdam noceat: quod tantum abest, ut eloquentiæ dignitatem & præstantiam imminuat, ut ea potius idipsum cum omnibus rebus bonis, virtute sola exceptâ, commune habere videatur: quæ quò sunt præstantiores, tantò perniciosior earundem est abusus. Quis enim nescit, & in ducibus, & in magistratibus, & in medicinæ, & in ipsâ denique sapientiæ professione, pestem quandam inesse? nam & Dux Flaminius: &

Grac-

Gracchi, Saturnini, Glauciæ, magistratus; & in medicis venena; & in ijs qui Philosophorum nomine malè utuntur, gravissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur; attulerunt sæpè valetudinis causas: nunquam subeamus tecta; superhabitantes aliquando procumbunt: non fabricetur militi gladius; potest uti eodem ferro latro. Quis nescit, ignes, aquas, sine quibus nulla est vita; & ne terrenis immorer, Solem, Lunamque, præcipua syderum, aliquando etiam nocere? Execrandi itaq; & detestandi nobis meritò fuerint, Auditores, isti Eloquentiæ flagellatores, qui suis calumnijs Eloquentiæ laudem vellicant, rem, omni laude, omniq; veneratione dignissimam, convitijs petunt: contraq; omninò sentiendum est, id quod sæpius quoq; & repetendum & inculcandum venit, præclaram rem esse Eloquentiam dignitatisq; plenam, eique meritò omnem operam, omne studium & diligentiam nostram consecrandam, adhibendam. Sed quod ita Eloquentiam meritis ornamus encomijs, credo equidem, Auditores, id vobis dignum vestra attentione videri, tum conveniens nostræ personæ, quam in præsentia jusce-pimus. Laudanda enim ea sunt, quæ ad amplificandam honestarum artium dignitatem, & excitandum in hominum animis earundem studium pertinent.

Vereor tamen, ne hoc incommodi habeat noſtra oratio, ut illi, qui vel errore vel animi pravitate ductiminus dextrè de hoc ſtudio ſentiunt, apud ſe animis ſuis perſuaſum habeant, Eloquentiam à nobis laudari, non quod talis ſit, quæ laudem mereatur; ſed quod hoc in nos receperimus, ut eam ſive veris ſive fictis laudibus cumulemus, non aliter atq; circulatores illi circumforanei, præſtantiſſimum & humano generi ſaluberrimum Medicorum nomen ementiti, Panaceam ſuam multis commendare ſolent, cum tamen illa plurimum, nullum uſum hominibus præbeat; alioquin neceſſum non eſſe, ut rerum ſummè utilium verboſam commendationem quis inſtituat: cum, ut in proverbio eſt, vino generoſo non opus ſit ſuſpensâ hederâ. Verum ſi qui ſunt, qui ita ſentiunt, illi ſatis ſuperq; re ipsâ ſi non verbis profitentur, neſcire ſe, quanta ſit Eloquentiæ neceſſitas & quàm fructuoſa utilitas. Quæ duo jam in lucem producenda à nobis ſunt, ut vel inviti adverſarij noſtri fateri cogantur, longè plura à nobis in Eloquentiæ laudem dici & debuiſſe & potuiſſe, quàm quæ temporis & loci ratione habita à nobis in medium ſunt prolata. Hoc itaq; nobis concedent, opinor, illi quicunq; fuerint: ſine cujus rei cognitione nemo unquam viri politici nomen eſt conſecutus nec conſequetur unquam: ejus rei diſcendæ neceſ-

necessitatem summam & inevitabilem incumbere ijs omnibus, qui hoc in primis suarum laudum statuunt, ut aliquando viri boni & politici sint, habeanturq́. Quod ipsum ita planum est, ut qui id pluribus demonstrare conetur, Soli faces adhibere censendus sit. Etenim quæ à rei alicujus constitutione nequaquam abesse possunt: quis ea ad rem illam non necessaria esse rectè dixerit? Sed quæ illa sint viri politici προσκείμενα, quibus hi carere nulla ratione possint, agite videamus. An non enim boni politici est cognitum perspectũq́ habere, quomodò tùm illa quæ Reip., in quâ versatur, utilia esse duxerit, in senatu, in curiâ, in concione sint proponenda: tùm ea, quæ vel proposuit ipse, rationum ponderibus firmanda, aut quæ ab alijs allata, si bona, probanda, si mala, reijcienda sint? tùm etiam in his omnibus rationem aliquam tenendam, ea quæ domi cogitavit, ordine convenienti & apto, quiq́ ad victoriam obtinendam accommodatus fuerit, collocandi & disponendi? deniq́ quæ ita cogitata & meditata sunt, verbis & sententijs ritè inter se connexa, in medium proponendi? quæ omnia, ut boni oratoris & eloquentis viri esse, nemo non agnoscit: sic Politicus nisi præstiterit, haud majorem politici laudem consequetur, quàm ille Imperatoris boni, qui nec exercitum ipse colligere, nec collectum

in acie rectè disponere novit, & inermem militem contrà instructissimas hostium acies educit: qui tamen tantum abest, ut Imperatoris boni nomen ferat, ut vix inter gregarios milites connumerandus esse videatur. Sed & maximoperè necessaria est viro verè politico, qualem hîc nobis proponimus, illa facultas, quâ possit non solum perspicuè animi sui sensa efferre; sed & mediocriter, de mediocribus; de amplis verò & gravibus, magnificè dicere. Quî enim oratio, etiã lectissimis sententijs stipata, intelligi aut percipi poterit, nisi orator perspicuis & maximè proprijs verbis rem efferat; nisi verbis utatur claris & dilucidis, quibus reconditi humanæ mentis cõceptus, ceu facibus quibusdam, illustrentur? oratio autem, cujus summa virtus est perspicuitas, quàm erit, quæso, vitiosa, si egeat interprete? scilicet est oratio mentis interpres, character animi. jam siquis interpretis munus in se suscipiat, qui ipse tamen alio interprete indigeat, si intelligi velit; quomodò is suo munere fungetur? an non sibilis & cachinnis ab audientibus excipiendus esset? Scitè itaq; & ad rem appositè Philosophorum aquila: oratio, inquit, nisi sensa mentis aperiat & rem declaret, non fungitur suo munere. Ac certè, Auditores, nonne & nos idem dicemus? Damnantur vestes bombicinæ polymitæ, quas multitia dicimus,

mus, & damnantur ideò, quod ob filorum subtilium raritatem corpus non benè tegant, nec illud à Solis ardore aut frigoris injuriâ aliquo modo defendant: cum tamen nullus sit alius usus vestimentorum vel finis, ob quem illa primitùs sint inventa. Nos, Auditores, laudabimus eam Eloquentiam, quæ suum finem non assequitur? quæ rem non explicat, sed implicat? non declarat sed obscurat? non evolvit sed involvit? Nemo nostrum, ut opinor est, qui in hanc tàm absurdam mentem se unquam abripi patiatur. Cum enim ideò datus sit homini sermo, ut sensa animi aperire alijs, communicareque cum illis res necessarias, quæq; velit, quæque nolit, non dubijs incertisque indicijs, ceu nutibus, possit ostendere; sed verbis manifestis & intelligibilibus enunciare: cum hæc ita sint; quis obscuritatem dicendi non rideat, eamque ex agro nostro ejiciendam esse non censeat? inprimis, cum propriũ hominis decus sit oratio perspicua & decora. Cum n. nos homines multis rebus bestijs humiliores & infirmiores simus, hac tamen re maximè illis præstamus, quod loqui possumus. qui autem perspicuè decoreq; dicendi facultatem consecutus est, hic in eo laborandum sibi censuit, ut quo uno maximè bestijs præstet, in hoc hominibus ipsis ancellat: quæ res tàm decet hominem, tamq; est hominis propria, ut multò magis

magis contemnendum majoriq; infamiâ notandum affirmarint viri prudentissimi eum; qui oratione rectè uti non possit, quàm eum, qui robore corporis se tueri nequeat: quem tanquam ignavum & timidum passim contemni, certum est. Quod si jam proprium hominis decus est oratio perspicua & decora: quantò magis Politico necessaria erit oratio clara & perspicua, in quâ decorum diligenter observaverit; quaque hic noster reliquos homines tanto post se intervallo relinquet, quanto hominum genus bruta animantia exsuperat. Sæpè enim in ea tempora incidit hic noster Politicus, sæpè ejusmodi causæ & casus ipsi obtingunt, ut necessum habeat uti artificijs oratorijs: quæ si ignoraverit, parum aut nihil proficiet. Cum enim judicum animi sunt movendi ad iram, ad odium, ad indignationem, adversus reum flagitiosum, præfractum, impium: quid faciet Politicus, nisi rationem animorum movendorum habuerit benè cognitam? Idem erit, si innocenti benevolentiam & misericordiam conciliare conetur. In quibus omnibus sedulò spectandū est, quid deceat: quod nemo melius quàm orator bonus noverit. Solus etenim hic in oratione, nihil arroganter, nihil superbè, nihil fastuosè de se dixerit; nec se nimium deprimet ipse, nec se abijciet: medium ubiq; servabit, media incedet via: &, quod

nos

nos dicimus decorum, præ oculis semper fixum habebit: ille noverit se beneficum, noverit officiosum ostendere. rebus autem ipsis, ad tractandum propositis, convenientem & congruentem orationis, verborum & sententiarum habitum accommodabit: de humilibus submissè, de mediocribus temperatè, de magnis sublimiter dicet, ut ubiq; id, quod decebat, accuratè observâsse videatur. O scientiam oratoris admirabilem! ô ingentem oratoriæ vim, ejusq; cognoscendæ necessitatem viro politico maximè necessariam! Fingamus enim, Auditores, Politicum ignorare ea, quæ boni esse oratoris diximus: ut fortè movendorum animorum ratio ipsum lateat: magno id periculo certè fuerit reo innocenti; qui odio magis quàm crimine premitur; quem aliorum potius, quàm proprium scelus in judicium protraxit. rursus faciamus, eidem accusandum esse hominem facinorosum, sacrilegum raptorem, adulterum, homicidam, qui tamen singuli gratiâ apud judices valeāt: quid hîc iterum Politicus valebit, si non eloquentia valuerit? idque vobis constabit, Auditores, ubi apud animum revolveritis Verris historiam, quam ignorare non potestis. Ut verò non dicam, si Politicus ille aut arroganter aut abjectè de se quid dixerit, quàm brevi omnem gratiam sit perditurus: illud modò vobiscum expendite,

si rebus ipsis oratio non satis conveniat, sitq; vel ornatior quàm oporteat, vel etiam non satis expolita: quis ejusmodi dicentem sine molestiâ audiet? Sunt Politico verba facienda de stillicidio vel flumine, in ædes suas vel in aream vel in cloacam recipiendo, vel non recipiendo: dicendum ipsi est de fœtu animalium, de alluvione, de mutatione alvei, de anseribus & gallinis, & de alijs privatorum controversijs: annè quisquam est, qui hunc de rebus humilibus magnificè & amplissimis verbis differentem, diutius sine risu aut indignatione sustinere possit? quomodo verò is suum nomen tuebitur? puto, Auditores, non magis eum id facturum, quàm is, qui de majestate sui principis, aut de Rep. de pace, de inducijs, de fœderibus ineundis, firmandis, stabiliendis, de bello denunciando, inferendo, alijsq; rebus longè gravissimis submissè abjecteque sermocinatus fuerit. Quæ cum ita se habeant, cumque tàm clarum tàm manifestum sit omnibus, eloquentiam viro politico pernecessariam esse: mirandum certè est, calumniari nonnullos audere, ac dicere, nil aliud esse Eloquentiam quàm ventosam quandam jactantiam. Sed quid dico me mirari? quid enim optimarum etiam rerum à calumniatorum morsu liberum est? Ausus est quondam Momus, si Poetis fides habenda est, Deorum

operæ

opera culpare: & hodiè mirum, si ejus farinæ nonnulli reperiantur; qui optima quæq; ipsasq; virtutes Theonino dente petant? Verum tantum tamen abest quò maledicta ejusmodi res pulchras deturpent, ut potius convitiatorum vanitatem & extremam insciti am prodant, detegantq;. Quis enim, nisi stultus, inficias ibit unquam, eam facultatem, quæ docet nos oratione tractare res bonas vitæq; hominum necessarias & salutares, eam, inquam, facultatem Politico, vere politico, scitu cognituq; perne cessariam esse? Quid verò aliud docet Eloquentia, aut quæ alia præter hanc scientia est, ex qua tanquā ex quodā Amaltheæ cornu tot in genus humanum bona profluant dimanentq;? Hæc templis præest: hæc sacra moderatur: hæc de Deo, de religione, de vitâ verè beatâ, de rebus alijs plurimis, ad animæ salutem necessarijs, populum erudit, docet, commonefacit. hæc curiam ingreditur, &, ceu initiò homines à ferâ immaniq; vitâ ad humanitatem, ad hanc civilem societatem avocavit; ita porrò hominum cœtus conservat, tuetur, defendit. hujus beneficio jura conduntur, leges rogantur, senatusconsulta promulgantur. Hæc belli pacisq; moderatur habenas: hæc classicum canit, hæc militum animos, ad virtutem & fortia facta, laude & præmijs propositis accendit: hæc canit receptui, hæc inducias facit, pa-

cem impetrat, fœdera sancit, regna regnis, reges regibus concordiæ & benevolentiæ vinculo inter se devincit: pacis hæc alumna & tranquillitatis socia, pacato Reipub. statu, omnium curam sollicitè obit: quid in civitatem importari, quid civitate exportari conveniat, nervosâ oratione suadet: quomodo vectigalia imponenda, augenda, minuenda, pulchrè ostendit. nec privatorum congressus horret: contractibus, negotijs gerendis, adjumento est: mercatores quotidiè juvat, imò & ædes nostras sæpiculè ingreditur, & patremfam. in administrandis negotijs domesticis, regendâ uxore, liberis, familiâ instruit. Quibus tamen omnibus non sufficeret dicendi ratio, si tantum in verborum volubilitate aut ingenij acumine vel etiam in solâ dicendi peritia consisteret: non etiam maximarum rerum cognitione niteretur atq; ex ea efflorescceret, ex quâ, tanquam ex saluberrimo quodam fonte, tot utilitates in omnes vitæ partes copiosè derivarentur: ut non immeritò Sophistas veteres Aristoteles hoc nomine reprehendisse censeatur: quod relicto probationis corpore, solum modò quibusdam veluti rerum umbris, quas ibidem κενολογίας vocat, docendis inhærerent. & Cicero, Romuli nepotum disertissimus, Eloquentiæ fundamentum statuit esse rerum cognitionem; orationemq;, quæ ex illa

non

non redundat, inanem quandam habere elocutionem & penè puerilem. Qua propter nemo ambigere potest, viro politico necessarium esse Eloquentiæ studium: cum sine illo non modò administrare ea, quæ ipsius sunt officii & muneris; verum ne quidem nomen tantum Politici tueri possit. Sicut enim in picturâ aut statuâ, non tàm pretium materiæ aut opes & divitias ipsius pictoris vel statuarii laudamus, quàm artem ipsam, & quod illa archetypum sive rem ipsam, cujus est imago, quàm optimè repræsentet: ita nec eum, qui vel divitiis abundat, vel qui potentiâ eminet, quiq; ab amicis, à clientibus, est stipatus, Politici nomine dignabimur: nisi is quoque hac virtute præditus fuerit, ut ubi id reipubl. exegerit necessitas, de rebus arduis, aptè & decenter in publico verba facere possit. Atq; hoc adeò verum esse statuimus, ut, si præter opes & divitias, præter potentiam, præter amicos & clientelas aliaque id genus plurima, etiam hoc alicui largiamur, rerum eximiarum peritiâ eundem pollere, scireq; ea omnia, quæ virum politicum decent: nisi tamen eloquio is ipse clareat, vix esse asseramus, ut tam splendidum politici nomen mereatur aut defendere queat: cum usu compertum sit, à mutâ & elingui sapientiâ vix majora commoda sperari, quam à vanâ & inani garrulitate. Fac verò ali-

quem in cœlum ascendisse, atq; ibi non solum corpora cœlestia vidisse, sed etiam eorum pulchritudinem, magnitudinem, ordinem, numerum, vim, & qualitates penitius didicisse: hic si reversus ad mortales elinguis sit, aut tam balbus, ut nihil eorum, quæ ibi cognoverat, oratione declarare possit: quid prodesset huic homini tàm multiplex tantarum rerum cognitio? aut quid ille ad genus humanum utilitatis afferet? quomodò verò oratione res tantas alijs communicabit? Idem planè dicendum est de Politico indisserto: quemadmodum in scenis mutæ, quæ dicuntur, personæ, nihil efficiunt, nihil eorum, quæ ad fabulam agendam faciunt, præstant: sic hujus Politici viri nullum esse ad flectendos animos, ad ea quæ reipubl. prosunt, dictione tractanda, usum, si Eloquentiâ non sit ornatus, præditusq;. Valeant ergò qui pro Eloquentiâ jactantiam quandam nobis venditant, quiq; putant, eum sat eloquentem esse, qui de re quâlibet, etiā non intellectâ, plurima verba facere possit, quæ tamen ipsa, vix aures penetrent, tantum abest, ut pectus usq; auditorum pertingant. Quasi vero nos, blaterones istos & loquaculos esse, non disertos aut eloquentes, ignoremus? aut præstigiarum artem, odio dignam vehementissimo, hac nostrâ oratione propugnemus? aut cuiquam sano ignotum sit, longè ab istâ vanitate abesse

abesse quam nobis defendendam sumsimus eloquentiam, facultatem illam, quæ res bonas, utiles & necessarias oratione, ad captum maximè auditorum accommodatâ, tractat: atq; hanc ipsam ob caussam, esse eam viro politico summè necessariam, & in Republ. benè constituta sanctè retinendam: rectè autem nos facere, qui honestissimarum rerum addicti studijs, olim & ipsi pro nostra virili Reipubl. commoda sumus curaturi, si in hâc addiscendâ, multum laboris, curæ, industriæ collocemus, nec tantum pectus sed & linguam polire & perpolire conemur? Hactenus de necessitate Eloquentiæ diximus: quantum huic instituto nostro visum est satis. restat, ut, quoad ejus fieri potest, brevissimè dispiciamus insignem ejusdem utilitatem & fructum, in quo tandem desinet hæc nostra oratio. Qui quidem fructus tanti sunt, Auditores, ut vix verbis exprimi possint. Primò enim Eloquentiâ effectum est, ut homines hinc indè passim in terris dispersi colligerentur, & ex feris mansueti, ex immitibus mites redderentur. fuit enim: si priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, credimus: quoddam tempus, cum in agris homines, passim bestiarum more vagabantur, & sibi victu ferino vitam prorogabant, nec ratione animi quidquam, sed pleraq; viribus corporis administrabant. nondum divinæ religionis,

gionis, non humani officij ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias: non certos quisq; inspexerat liberos: non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atq; insciti am cæca ac temeraria dominatrix, animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, pernicioſiſſimis ſatellitibus. Quo tempore quidam magnus videlicet vir & ſapiens cognovit, quæ materia eſſet & quanta ad maximas res oportunitas animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſit elicere, & præcipiendo meliorem reddere: qui diſperſos homines, in agris & in tectis ſylveſtribus abditos, ratione quâdam compulit in unum locum & congregavit, & eos in unam quamq; rem inducens utilem atque honeſtam, primò propter inſolentiam reclamantes, deindè propter rationem ſtudioſiùs audientes, ex feris & immanibus mites reddidit & manſuetos. Hæc priſci illi: quos ita ſenſiſſe, teſtatur Poëta Lyricorum Princeps, cum canit:

> Sylveſtres homines, ſacer, interpresq; Deorum,
> Cædibus & victu fero deterruit, Orpheus:
> Dictus ob hoc lenire tygres, rapidosq; leones.
> Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
> Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
> Ducere quo vellet. Hæc ille.

Sapientiſſimus a. divinusque vir Plato in Protagorâ ſcripſit, Jovem humanæ ſaluti conſulentem, ſtatim poſt primos creatos homines Mercurium miſiſſe, pudorem

dorem & justitiam hominum cœtibus illaturum, ut duo hæc civitates ornarent, devincirentq́, & mutuâ benevolentiâ cives conciliarent. Per Mercurium enim hanc ipsam nostram, de qua agimus, dicendi vim significatam veteribus fuisse, lippis, quod dicitur, & tonsoribus notum est. O eloquentiæ vim incomparabilem! tuo beneficio homines ab errore ad rationem, ab ignorantiâ ad eruditionem, à crudelitate ad humanitatem, ex tenebris deniq; ad lucem perducuntur. tuo beneficio, ij, qui patientes tibi præbent aures, de rebus optimis eruduntur: tuo beneficio, hi, qui Oratori dant operam, non solum maximâ delectatione, quam ex cognitione rerum eximiarum capiunt, perfunduntur; sed simul quoq; à cupiditatibus revocantur, & ad virtutum studia impelluntur: ut verissimè à Seneca dictum sit: eum, qui Eloquentiæ ornamentis se instruxit, tribus modis homines aggredi: aures penetrando, oculos demulcendo, animos invadendo. O Eloquentiæ vim incredibilem, quæ tantum in animis hominum potes, quantum vis nulla potest! An non enim, Auditores, corpori vis adhiberi potest, animo autem non potest? ast Eloquentia in animis hominum dominatur, quæq; honesta atq; utilia sunt, ea non facere modò, sed & velle eosdem cogit. ita audientium animos invadit, demulcet, penetrat.

netrat. Age verò urbibus constitutis inq; disciplinam hominibus redactis, annè ad quid amplius conducit Eloquentia? Ibi verò primum ipsius virtus splendescere incipit. Si enim ingressi fuerimus curiam, judicia, tribunalia, videbimus utiq; ibidem regnum quasi exercere Eloquentiam. Sunt in Republ. facinorosi & mali, quibus nil sacrum nil sanctum est, quibus injuriam facere alijs nequequam est religio, qui bonos supprimunt, innocentes affligunt: ecce tibi Eloquentiã, quæ ulcera & pestes ejusmodi reipubl. ad Judicum subsellia, obtorto quasi collo, trahit, & meritam pœnam ab ipsis poscit. rursus alij boni & innocentes, per calumniam, maximorum criminum rei aguntur, potentiorum invidiâ & odio prægravantur: ecce tibi iterum Eloquentiam, quæ in judicio defendendos illos suscipit, ipsorum causam agit, judici innocentiam eorundem demonstrat, ipsosq; tandem ad tranquillitatis & securitatis portum lætos perducit. Ac certè, Auditores, cujus hoc ipsum esset alterius alicujus munus, quam aut ipsius Eloquentiæ, aut eloquentis? quo quidem nomine solus ornandus est is, qui scelus fraudemq; nocentis potest dicendo subijcere odio civium, supplicioq; constringere: innocentem supplicijs eripere. Sextus Roscius Amerinus, parente per vim & injuriam miserè occiso, domo & laribus

pater-

paternis ejectus, patrimonio exutus, omnibus bonis spoliatus, fugiens latronum tela ac minas, Judicum sententijs occidendus ac jugulandus tradebatur, & quod omnium indignissimum erat, tradebatur ab ipso Chrysogono homine nequissimo, qui cædis admissæ cum complicibus suis reus erat, qui ut divitijs affluebat, ita potentiâ, gratiâ, astutiâ valebat plurimum. Et jam eò rem adduxerat Chrysogonus, ut S. Roscius odio & suspicione Judicum premeretur, ac si paternæ necis autor fuisset: quæ duo ad condemnandum reum multum possunt. Quid tum putatis misero homini ante oculos obversatum fuisse aliud, nisi virgas sanguineas, & culeum cui insueretur? In hac acie novaculæ constituto Roscio M. Tullius, oratorum quotquot unquam fuerunt præstantissimus, opem tulit, eumq;, divinâ Eloquentiæ vi, præsenti capitis periculo exemit, calumniatoremq; iniquissimum convicit. Idem ille Cicero Verrem, monstrum hominis, non hominem, scelus ipsum, non scelestum, quiq;, ut ipse ait, repentè è vestigio, ex homine, tanquã aliquo Circéo poculo, factus est verres: hunc Verrem Cicero suis orationibus ita insectatus est, vitia ipsius in publicum produxit, tàm graviter ipsum accusavit, ut adhuc hodiè malis & facinorosis hominibus Verrinæ istæ actiones meritò sint terrori. Idem ille

Cicero; eloquentiæ suæ fultus munimine, Catilinam compressit, Italiam ab incendio, civitatem à bello, templa & domos à vastatione, exemplo apud posteritatem nunquam satis laudando, liberavit. Dies me deficeret citius, quam oratio, si vel unius Ciceronis, non etiam aliorum oratorum exempla laboriosè conquirere vellem: quibus vobis planum facerem, id quod jam abundè constare puto, eloquentiam bonis & innocentibus præsidio semper fuisse, malis & facinorosis formidini. Illud verò sicco pede præteriri haud decet, quantum in eloquentiâ positum sit, ad continendos homines in hac civili societate. Audacter dixerim: Solē è medio tollere eum, qui Eloquentiam tollit ex civitate. ut enim absq; Sole si esset, ne unum diem servari naturæ ordo hic posset; ita vix est, ut respubl. aliqua, vel ad exiguum temporis momentum, absq; eloquentiâ vigere aut subsistere possit. Quis enim nostrum est, Auditores, quem lateat, sine amicitiâ, sine mutuis officijs, ac studijs, ne quidem domum, nedum societatem politicā salvam esse posse? at has amicitias, hæc studia efficit Eloquētia. te Ciceronem testem appello, qui confirmas, gravem esse & plenā dignitatis dicendi facultatē, quæ plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima cōmoda sæpè peperierit. te civitatem Romanam, orbis terrarum domitricem, advoco, quæ, quod ad tantum

tum dignitatis fastigium perveneris, non magis virtuti bellicæ quam eloquentiæ tuorum civium adscribere habes: parum quippe foris armis profecisses, nisi domi Eloquentiâ & Sapientiâ, pulcherrimis habenis, cives in officio ipsa retinuisses. Ita videre est, Auditores, tamdiu Athenienſium civitatem floruisse, quamdiu virorum Eloquentium in eâ copia fuit, quorum hortationibus & monitis plebs fuit obsecuta. & Philippus, Macedonum Rex fortissimo, dicere solitus est, se magis unius Demosthenis metuere facundiam, quàm cunctas Athenienſium triremes, balistas, catapultas, totum deniq; apparatum bellicum. Intellexit Rex sapientissimus, plus valere ad rempubl. firmandam disertissimorum virorum salutaria consilia, quàm armorum bellicorum copiam. Sed ut in tranquillo pacatoq; reipub. statu maximus Eloquentiæ usus est in civitate: ita videmus propè majorem ejus esse utilitatem, ubi respubl. seditionum & dissensionum civilium quasi turbinibus & ventis quassatur. hic etenim videre licet, quantum valeat is, qui pariter in linguâ atq; in pectore Mercurium habet facundum. Expressit hoc Poëtarum Princeps, his verbis:

Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus:
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem

Conſpexêre, ſilent, arrectisq; auribus adſtant:
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Hæc ille. Vos autem, Auditores, revocate vobis in memoriam Furij Camilli orationem, quâ ipſe plebem Romanam, Gallorum incurſione, in ſummas angustias, extremamq; paupertatem redactam, ædium conflagratione nimium gravatam, crebris Tribunorum concionibus agitatam, Deos penates patriosq; lares relinquere, migrare Vejos prohibuit: vaſtatam incendijs, ruinisq; urbem, inopem reſtaurare plebem adegit: ſeceſſionem à patribus, intentis Eloquentiæ nervis, plebi ipſi veluti inutilem diſſuaſit, atq; ita oppidum civibus, cives oppido reddidit. Ponite vobis ob oculos Menenium Agrippam, qui, cum plebs Romana bellum inteſtinum adverſus patres moviſſet, & ejus rei cauſſâ in ſacrum montem ſeceſſiſſet, à ſenatu ad plebem Orator miſſus, poſtquam in caſtra venerat, ſolius eloquentiæ ope exorator factus eſt, propoſitâq; rudi plebi fabulâ, de diſſenſione membrorum humani corporis, hoc effecit, ut plebs cum patribus viciſſim in gratiam rediret. Finxerunt veteres Galli Herculem monſtrorum variorum domitorem, ſenem, calvum, rugoſum, leonis exuvijs indutum, tenentem clavam dextrâ, levâ arcum, pharetrâ de humeris ſuſpensâ: ex ore catenulas extremo linguæ apici annexas habentem, quibus magnam hominum turbam,

auri-

auribus suspensam, ad se, non repugnantem, sed alacrem pertraheret. Quid si removeamus hoc involucrum fabulæ, detegamusq; rem ipsam? Hercules ille Orator est eloquio potens: huic cum bestiâ multorum capitum, cum plebe insanâ & furiosâ, cum vitijs, cum sceleratis, non alijs, quàm Eloquentiæ armis, depugnandum est. vis dicendi ipsi clava est; argumenta tela sunt & lanceæ, quibus reluctantes ferit sauciatq;: catenulæ ex ore prominentes summisq; auribus circumstantium innexæ, sunt summa illa sermonis elegantia & pulchritudo, qua hominibus dulciter optima quæq; persuadet, eosq; in suas partes pertrahit. cani, rugæ, senium, quid aliud denotant, nisi quod rarò juveni hæc felicitas contingat, & quod in oratore multarum rerum usus & experientia requiratur. Sed ne plura in hanc sententiam dicam, quod utiq; facile mihi esset, vestra facit, Auditores, humanitas, quâ abuti nec possum, nec volo. Illud adhuc paulisper apud animos vestros, vobiscum, quæso perpendite, quantum decus homini conciliet eloquentia, quam laudem, quam gloriam, quantam deniq; admirationem; ex multis millibus unum esse, qui in frequenti coronâ civium solus accommodatè, appositèq; verba facere possit? Duæ sunt artes, inquit Tullius, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis:

una

una Imperatoris, altera oratoris boni: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur. Nec magis hæc dicit, quàm suo nobis exemplo probat. Ipse homo novus, solâ dicendi facultate, ad summum in Republ. Rom. dignitatis apicem conscendit: immortalem nominis sui memoriam, solâ & unicâ hâc benedicendi peritiâ sibi comparavit. Idem & ante Ciceronis & post ejus tempora, & alij plures fecerunt, eâdemq; viâ ad honoris & dignitatis templum grassati sunt: quos percensere omnes, labor esset; audire, non usq; adeò jucundum: quare lubens huic muneri supersedere malo. Tanta enim est utilitatum Eloquentiæ magnitudo, ut quocunq; tandem mentis nostræ converterimus aciem, videamus hanc ipsam, & propemodum attingamus. Ec quæ enim vitæ est pars, in quam non hæc largiter fructus suos diffundat? absq; Eloquentiâ si esset, jaceret divinus cultus, jaceret religio: non essent, qui publicè populum de suggestu docerent: Ecclesia Christi, opinione citius, collaberetur; templa desolarentur; scholæ, virtutis seminaria, corruerent; curia, tribunalia, forum ipsum desertum atq; incultum conspiceretur: imò & vita communis plurimis ijsq; egregijs utilitatibus careret. O fructus immensos, ex Eloquentiæ thesauro in privatorum usus, ceu ex publico fonte per canales certissimos, profluen-

fluentes! Quare, Auditores, cum tanta sit Eloquentiæ dignitas, tanta majestas, ut vix ulla alia major esse possit: cum tanta sit Eloquentiæ necessitas, ut sine hâc nullo modo viri politici nomen quispiam tueri possit: cum deniq; tanta sit Eloquentiæ utilitas, ut illa se in omnes vitæ humanæ partes, quàm largissimè diffundat: nemo, ut spero, fuerit, qui amplius de eo dubitet, num Eloquentiæ sit studendum; sed potius omnes firmiter persuasum habebunt, optimè locari hanc operam, quæ illius studio impenditur. Faciamus itaq;, quod hactenus fecimus, commilitones, & strenuè in hoc Eloquentiæ studio & stadio pergamus, omnesq; ingenij vires, omnes nervos, omne animi robur huc intendamus, ut & pectus artibus bonis excultum, & linguam dicendi peritiâ perpolitam habeamus. Ita nos spes pulcherrima fovebit, pulcherrimo hoc Eloquentiæ studio perfecto, posse etiam Rempubl. in partibus suis gubernandam, nobis concredi: possèq;, Dei immortalis beneficio, à nobis quamplurimas in Rempubl. Ecclesiasticam & civilem utilitates, maxima commoda proficisci.

DIXI.

BENEVOLO LECTORI
S. D.
JOANNES SIMONIUS M.

SEMPER in omnibus benè constitutis Rebuspublicis dicendi studium ab Adolescentibus fuit summoperè excultum. Ac quidem cum superiorum seculorum historias memoria repetimus, negare non possumus, in ipso orbis terrarum imperij quondam domicilio, in urbe Roma, adolescentes, summo loco natos, tantò se in eloquentiæ palæstra exercuisse diligentius, quantò se majorem futuræ dignitatis scirent spem suis afferre: idq; feciſſe eos constat non tantum intra privatos parietes, in aliquo Tusculano, sed pro rostris, ex ornatissimo illo ad dicendum loco. In ipsa autem Græciæ Græcia, Athenis, in quibus summa dicendi vis & inventa & perfecta est, in hac ipsa civitate ita profectò eloquentiæ studia viguerunt, ut nemo ferè laudis cupidus adolescens esset, qui non sibi ad dicendum omni studio enitendum putaret. Etsi verò major fortè fuit Adolescentulorum utriusq; gentis & Græcæ & Romanæ in excolenda eloquentia felicitas; magisq; laudandum ipsorum studium quis dicat, quàm nostrorum hominum & temporum: tamen non est, cur apud nos quoq; eorum, qui aliquid operæ in dicendi exercitatione ponunt, spes infringatur aut languescat industria. Carum & Mysorum adipale dictionis genus Græci improbarunt, Athenienses funditus repudiaverunt, quorũ semper, Tullio teste, fuit prudens, sincerumq; judicium, nihil ut possent incorruptum audire. Et tamen in Oratore civitatis ipsorum præstantissimo Æschines tam multa, & quidem in illa

illa pro Ctesiphonte oratione longè optima, reprehendit, ut Æschini ne Demosthenes quidem videatur Atticè dicere. Nempe illi hominum nationi, qui, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant, ne Mercurius quidem satisfacere queat. Quare horum caussa nequaquam est Adolescentibus bonis & ingenuis dicendi palæstra deserenda. Nec verò tardari se ijdem patientur aut deterreri, ideò, quod vident se non posse auditorum exspectationem sustinere statim, atq; dicendi studium excolere occipiunt. Par est enim omnes omnia experiri, qui res magnas & maximoperè expetendas concupiunt. Quæ cum ita sint, laudanda est eorum industria, qui prima sequentes honestum ducunt in secundis vel tertijs vel etiam quartis consistere. In eo prima sequentium numero cum sit ingenuus & literis humanioribus ornatus Adolescens FRIDERICUS, CL. Consultissimi atq; amplissimi Viri, Dni ALBERTI, JCTI: & Antecessoris in hac Academia, & Illustrissimorum Ducum Megapolitanorum Consiliarij, Filius, HEINIUS; meritò honestissimos ipsius conatus omnes honesti & boni approbant. Conscripsit ille declamationem quandam de dicto celebri, quo affirmatur HONORIBUS MUTARI MORES. Eam cras Deo volente, hora 10, cum cæteris diebus extraordinarijs auditoria disputationibus caleant; in Archeo Collegij Philosophici boreali, non tàm suâ voluntate, quàm Patris optimi judicio inductus recitabit. Ad hunc perbenignè audiendum, ut omnes omnium ordinum hujus Academiæ Cives hora & loco, quæ paullò ante diximus, quæ est ipsorum insignis & in multos alios testata humanitas, convenire non graventur: est quod eos reverenter rogem & orem. P. P. Rostochij a. d. 22. Martij Anno 1615.

De Bono Peregrinationis.

Pronunciata est à Fabiano ab Ostavv, equite Prussiaco, 10. Junij Anno 1615.

QUod olim à veteribus, quod à nostris majoribus, atq; hodiè etiam à viris præclaris ac sapientibus rectè ac sapienter dictum sit, varietatem delectare: id nos, Auditores, in tota vita atq; adeò dictis & factis nostris omnibus & experimur non rarò, & videmus sæpissimè. Cum enim homo in perpetua quiete vivere minimè possit, sed naturaliter motu, qui in dictis & factis consistit, quoad ei vitæ hujus usura frui conceditur, gaudeat; nemo nostrum, mea quidem sententia, inficiabitur, summa se voluptate lætitiaq; affici, si vel in privato conventu cum privatæ aguntur, placido ac familiari sermone; vel in publico consessu, cum publica tractantur, concinna, splendida ac gravi oratione, cujusq; tamen loci ac temporis ratione habita, de rebus varijs, ijsq; vel familiaribus vel publicis rectè & eleganter conferre ac perorare ipse possit, vel alium perorantem audiat. Ac certè, sicuti hoc, quod de suavitate sermonis dicitur, concedere quilibet sanus non renuit: ita etiam ex veritate actionum vel parem vel etiam majorem proficiscivoluptatem facilè affirmabit. Nam quid quæso homini, præcipuè excellenti ingenio prædito, aut jucundius

dius, aut suavius accidere posset: quàm si motu divino ductus, varijs actionibus secundum virtutem editis, siq; ingenio scientia, corpore usu, utroq; variarum rerum experientia imbutis ac corroboratis, vitam suam beatiorem, & reipublicæ utiliorem reddere queat. Equidem ad hujus rei sufficientem demonstrationem, cæterarum actionum humanarum jucunditate, suavitate & utilitatum infinito numero præteritis: unicam Peregrinationem, &, quæ ex ea proveniunt, jucunditates, amplissimasq; utilitates, hoc tempore pro ingenij viribus explicare, ab adversariorum injurijs, qui peregrinationes falsis ex causis damnare, &, quasi nihil ad reipublicæ conservationem utilitatis afferant, traducere non erubescunt, quantum potero, vindicare: quodq; necessariæ sint, ac minimè intermittendæ, breviter demonstrare studebo. Vos verò, Auditores, ne miremini, quod ego, qui peregrinationibus operam nunquam dedi, imò verò è patrijs laribus vix emersi, in publicum hunc consessum virorum clarissimorum, juvenumq; eximiorum, ad dicendum de Peregrinationis præstantia veniam. licet enim ejus vel dulcedinem, vel etiam molestiam minimè degustaverim, ac propterea nullius voluptatis fructusq; ex ea manantis compos factus sim: nihilominus tamen, quia è verborum

quoq; vario usu, æquè ac ex ipsis actionibus haud vulgaris oritur delectatio: egoq; non ostentationis gratia, sed potius dulcedine atq; amore peregrinationum captus, exercitij ergò, hanc dicendi provinciam in me suscepi: confido, Auditores, facilè me apud vos, quorum mihi humanitas perspecta satis est, veniam inventurum, atq; ea quæ maximè in votis habeo, benevolentiam nempe ac favorem à vobis consecuturum. Ut ergò à Lipsij, tum eruditione, tum experientiæ usu quondam præstantissimi viri, elogio potissimum exordiar: is non præclarè solum atq; eleganter, sed verè etiam ac sapientissimè dixit: humiles & plebeias animas domi residere & adfixas esse suæ terræ; illam divinorem esse, quæ cœlos imitatur & gaudet motu. Etenim nihil verisimilius, aut etiam verò verius dici unquam potest, quàm cum eos, qui peregrinationibus sese dedunt, divino quodam afflatu motuq; excitari, regi atq; duci affirmamus. Peregrinati sunt, tot viri sapientes, tot viri potentes, Imperatores, Reges, atq; Principes: peregrinatus est, & maximam terrarum partem peragravit, vir divinus nè potius an humanus? Alexander Magnus, atq; ita peragravit, ut nominis sui immortalitatem post se relinqueret. peregrinatus est, seq; Alexandro adjunxit Anthyrius, primus Dux Megapolitanus, qui postquam peregrinatio-

nationum persenserat suavitatem, usq; ad mortem Alexandri sequi eundem non dubitavit. Peregrinatus porrò est Julius Cæsar vir atq; heros præstantissimus: vidit hic Græciam, Thraciam, atq; Asiæ oram: hic in Ægyptum profectus est, antiquitatis cognoscendæ gratia, ipsasq; Armenias perlustravit. Quis verò est, Auditores, qui hosce viros, divinitus excitatos, divinis ingenijs præditos, divina ope atq; auxilio, in rebus magnis, arduis, & memorabilibus perficiendis, suffultos non affirmaret? Quorum ille exiguo militum numero, facta mirabilia & ferè incredibilia edidit, maximam terrarum partem duodecim annis sub potestatem suam subegit, tot civitates splendidas, tot Reges potentissimos ac ferè invictissimos expugnavit; Thebas evertit, Tyrum & Gazam, & urbes alias quàm plurimas oppressit: Darium Persarum Regem potentissimum fugavit ac profligavit. Anthyrius verò, cujus virtutes ab Alexandri virtute, fortitudine atq; prudentia haud discrepant, bella dura, gravia & aspera sub Alexandro gessit: varia vidit, varia expertus est, urbem deinde Megapolim, à qua tota hæc regio nomen deducit suum, ut fama est, condidit, formavit, munivit, multa quæ tum ad necessitatem atq; utilitatem, tum ad dignitatem hujus regionis spectarunt effecit atq;

præ-

præstitit. Quod si Philosophos, sapientissimos viros, si Legumlatores prudentissmos inspexerimus, infinitos ferè, qui longè latèq; peregrinati sunt, inveniemus: Lycurgum in Cretam, Græciam atq; Ægyptum: Pythagoram in Persiam: Platonem in Italiam & Ægyptum profectos videbimus: Ciceronem primò in Græciam, postea in Asiam se contulisse: deinde Rhodum trajecisse animadvertemus: Socratem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Zenonem, Antiochum, Chrysippum, Posidonium, Antipatrem, & multos alios perpetuis fermè peregrinationibus vacasse cernemus. Quorum si nos virorum fortissimorum vitam virtutesq; consideraverimus, haud fieri aliter potest, quàm ut eos mundi quædam lumina eaq; divinitus excitata appellemus; nos etiam, si rectè eorum facta sequeremur, beatos judicemus. Cum enim propter ingenij stupiditatem, mentis hebetudinem, judicijq; tenuitatem, nihil vel parum in studijs humanioribus, in artibus, cæterisq; scientijs divinioribus percipere, nihil deniq; actionum bonarum edere à nobis ipsis possimus: viros doctos atq; virtute præditos quærere: eosq; imitari necesse habemus: hi sint vitæ nostræ quasi quoddam speculum: hi sint norma, cui omnes conatus actionesvè nostras applicemus. Quia ergo hi, quos enumeravimus, tàm excel-

excellentes, tàm prudentes viri, cum omne ingenium, quantacunq; illud naturâ sit atq; indole, angustijs tamen domesticis inclusum torpescere: omnem autem animi hebetudinem peregrinationum curriculis effervescere animadverterent: his causis moti peregrinati sint: nobis, Auditores, ad vestrum enim tribunal provoco, quid faciendum putabitis? Quod si tamen virorum clarissimorum exempla commovere nos minimè possent; utilitates sanè ex Peregrinatione manantes, omnibus gratæ, movere nos debebant: quippe cum tantæ sint, ut vix ulla alia ex re majores publicè privatimq; sint sperandæ. Nos; cum omnes enarrare difficile, imò de eorum genere sit, quæ fieri non possunt; præcipuas tamen enarrabimus. In virtutibus earumq; actione omnes fere sapientes summum, quod homini hac in vita contingere potest, bonum collocarunt. An non verò, si paulò altius Peregrinationes consideraverimus, maximoperè eas peregrinatorem ad virtutes informare, dicemus, profitebimurq;? Sit prima quæ & præcipua est, & ut primo ponatur loco dignissima, Pietas; quis, Auditores, ita extremè impius reperiretur, quem tot pericula, tot calamitates, tot labores, quæ terra mariq; peregrinantibus accidere solent, ad DEI Omnipotentis timorem, celebrationem, invocationem laudemq;

non exhortarentur atq; excitarent? quis adeò improbus, qui propter latronum immanitatem, ferarum ferocitatem, casuum varietatem, fortunæ inconstantiam, tempestatum, ac fluctuum sævitiam, maris infidelitatem, perpetuis periculis obnoxius, quæ absq; divina ope evitari nequeunt, ad ardentem nominis divini invocationem, quæ ad salutem magnum semper momentum pijs afferre solet, confugere, auxiliumq; inde implorare non compelleretur? Anacharsis cuidam percontati, utrum arbitraretur, plures esse mortuos quàm vivos, respondit: navigantes in utro numero ponis? dubitans, an hi essent intra vivos habendi, quorum vita undarum ac ventorum arbitrio commissa est. & Juvenalis Sat. 12. quatuor solummodò aut septem digitis navigantes à morte remotos esse censet: dum ait.

I nunc & ventis animum committe, dolato
Confisus ligno: digitis à morte remotus
Quatuor aut septem, si sit latissima tæda.

Jam verò, Auditores, putatisnè, posse reperiri quempiam tum à seipso, tum à DEO ita alienum, ut hæc tanta pericula contemnere, tempestates spernere, ut pelagi truculentiam despicere, mortem tandem ipsam parvi pendere queat? imo verò potius pertimescere mortem humanum est: nec erit quis natura, ut opinor, adeò belluina, qui tantis subjectus periculis,

qui

qui ab ipsa morte quatuor tantum digitis remotus, Deum teroptimum maximum non invocet, inq; ejus curam atq; protectionem corpus animumq; commendet suum. Quod si ad cætera progrediamur, quis adeò erit mollis, aut effeminatus, quem tempestates, quem æstus Solis, quem frigora, nives, pluviæ, vigiliæ, saxea pulvinaria, itineris molestiæ & alia id genus innumerabilia, fortiorem, aut animosiorem, non efficerent? quis adeò lascivus aut intemperans, quem damna atq; pericula, ex hisce vitijs maximè in peregrinatione orta, cautiorem atq; temperantiorem non redderent? quis adeò parcus atq; avarus, qui cum in peregrinatione persentiscat, quàm miserrimè egentes vivere cogantur, quantumvè ijs hominum prosit beneficentia, in alios postmodum liberalitatem exercere, non addiscat? quis adeò morosus aut austerus, aut, iracundus, quem affabilitas, mansuetudo, aut placabilitas hospitum, comitum, & sociorum ad mansuetudinem, humanitatemq; non invitarent? quis adeò iniquus atq; injustus, quem tot æqualitatis, tot justitiæ exempla passim occurrentia ad æquitatem atq; justitiam non converterent? quis adeò sordidus atq; rudis, quem aliarum gentium in cultu atq; vestitu mundicies, quem laudabilis in actionibus & gestibus elegantia atq; comitas, politiorem non efficerent? quis

demq; tam ferox atq; indomitus, qui hoc ipso, quod in peregrinis locis, ab ignotis omnia accipienda; omnia quæ videnda, quæ audienda, quæ comparanda veniunt, ab ignotis impetranda sunt, ad hominum amicitiam sibi conciliandam & firmiter tenendam non compelleretur? Vultu enim feroci atq; oreminaci si quis impetrare quippiam voluerit: nihil accipiet: contra, si humaniter, leniter, ijsq; quibus decet verbis vel rogaverit, vel petiverit; & ad respondendum faciles & ad dandum promtos, vel hostes etiam reperiet: siquidem sicuti superbè si interrogantur homines, respondere renuunt, ita justè interrogati, facilè tacere nequeunt: quippe cum etiam saxa, nemora, & aliæ res inanimatæ justè petitæ, respondere homini more suo soleant, juxta illud Ausonij,

Respondent & saxa homini; percussus ab antris
Sermo redit: reboat nemorum vocalis imago
Cymbala dant flictu sonitum; dant pulpita saltu
Tacta pedum; tentis reboant cava tympana tergis.

Etenim prudentiam, quæ cæterarum virtutum princeps sapientibus visa est, viator sibi Peregrinationibus acquirit: sub qua si quis astutiam nos intelligere autumet, is sciat, nobis hic esse Prudentiam, quæ viam atq; normam nobis ostendit, qua ratione consultare atq; agere debeamus ea, quæ in universa vita nostra, tum privata, tum publica, tàm nobis ipsis quàm

quàm alijs, bona vel mala esse videantur. Hanc ergò prudentiam peregrinatio suppeditat. siquidem qui peregrinationibus vacant, cum varia lustrant loca; viros doctos atq; prudentes offendunt quàm plurimos, quibuscum vivere, quibuscum conversari, & de rebus varijs vitæ utilibus conferre, disserere, atq; ita judicium corroborare possunt. Ac certè nulla res reperiri potest, quæ magis animos honestos imbuat, dubios confirmet, inq; pravum inclinantes ad rectam viam revocet, quàm cum bonis doctisq; conversatio. Sicuti is, qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, ut coloretur, coloratur tamen: ita qui cum sapiente consuetudinem habent, etiamsi non hoc agatur, tamen redduntur meliores. Neq; verò est parva vis prudentiæ, quod qui peregrinantur necesse habeant, ut parcè loquantur, ut nihil temerè incipiant, ut consilia sua celent, ut paucis fidant, omnium vitæ atq; moribus sese sine crimine applicent, cuncta intempestivè ac curiosè ne inquirant, in pecunia tandem expendenda modum observent. quæ omnia uti prudentem eum esse ostendunt, à quo rectè fiunt: ita quoq; prudentem eum fore monstrant, qui facere ea atq; observare conatur. Illud verò vel maximè ad prudentiam comparandam facit, quod his, qui rectè peregrinari volunt, incumbit; ut quam primum in

regionem aut civitatem quandam perveniunt, modeſtè in reipublicæ ſtatum, inſtituta, mores atq; leges, tum Eccleſiaſticas, tum forenſes inquirant; loca publica, templa, theatra atq; curias inſpiciant, armamentaria atq; bibliothecas perluſtrent; quæ alias utilia & notatu digna annotent; inutilia tandem reſpuant, atq; negligant. Nec ferit hanc noſtram ſententiam adverſariorū voculatio, qui dicunt: peregrinatione ad prudentiam comparandam vel propterea opus non eſſe, quod omnia, quæ foris aguntur, ſcriptis ſint comprehenſa. Licet enim fateri oporteat, eſſe ſcripta quàm plurima: tamen, quia fieri non poteſt, ut omnia ſcriptis explicentur; multa quoq; foris inveniantur, quæ in libris non ſunt; certior etiam ſit eorum cognitio, quæ ipſi vidimus, quàm quæ alijs referentibus & diverſè exponentibus, accepimus: peregrinatio minimè negligenda erit. Jam verò ex itinere reverſum atq; hiſce virtutibus informatum pegrinatorem in rempublicam introducamus, & quænam ex Pietate, quæ ex Fortitudine, Temperantia, Liberalitate, Manſuetudine, quæ ex juſtitia prudentiaq; hucusq; peregrinantis, jam verò in certa aliqua republica conſtituti, utilitates ad rempublicam emanare queant, videamus. Et quidem ut inde ordiamur, hic noſter, quia ſe divinitus in itinere ſervatum

tum gaudet, si verè pius sit, nihil intermittet eorum, quæ ad Pietatem & religionis cultum, ornandum, augendumq; pertineant. quo ipso efficiet, ut optimum Respubl., in qua est, munimentum, habeat, vinculumq; indissolubile, quo omnes inter se cives consociati contineantur. Fortitudinem verò ita introducet, ut nihil urbi deesse queat, vel in laboribus pro patriæ salute suscipiendis, vel in adeundis pro eadem periculis: cum nullum sit dubium, exemplo hujus viri generosos excitatum iri cives, ut omnia adversa, reipubl. causâ, contemnant ac perferant. Quantū autem vel in uno fortitudinis laude conspicuo viro præsidij sit; docuit Agesilaus Dux Lacedæmoniorum optimus. hic cum apud Mantineam fortissimè pugnaretur, suos admonuit, ut, quia soli viri fortes victoriarum causæ sint, cæteris missis omnibus, in unum Epaminōdam, virum fortissimum, vim prælij intenderent. si enim, inquit, Epaminondam prostraveritis, cæteri Thebani amisso duce & belli capite, omnem vim, omne robur atq; animum amittent, nobisq; palmam porrigent. hoc consilium quantum valuerit, ipse eventus docuit. Nam cum ad Thebanos victoria sese inclinaret: Epaminondas etiam circumire, suos ad fortiter pugnandum adhortari, qui fugissent à fuga revocare non intermitteret: Lacedæmonius quispiam

vulnus

vulnus ei inflixit, quod cum tantum esset, ut Epaminondam in castra deferre milites cogerentur, facilè Spartani reliquos perturbatos superare atque fugare potuerunt. Simile exemplum, dignum quod hic narretur, in Ungaria, Sigismundi imperatoris temporibus, accidit. is enim anno millesimo quadringentesimo tricesimo tertio, Duce Alberto Austriaco, exercitum contra Turcas mittebat. hic exercitus ad pugnam cum ventum est, hostium multitudine obrutus, infeliciter pugnabat, imò ita pugnabet, ut brevi in fugam converteretur. Quidam ergo Christianorum, vir constanti animo, fugientes revocare, suo exemplo præire, hostes heroico facto trucidare, signum in terram projectum erigere cepit, atq; hoc consecutus est, ut suos à fuga ad prælium revocaret: hostibus victoriam eriperet, suos ac patriam salvaret. Hujusmodi ergo fortes ut in sua Republ. existant, hic noster curabit: qui & id aget, ut subditi studeant Temperantiæ, quæ una homines tum ad privata tum ad publica munera suscipienda promtos atq; paratos efficit: quæ sanitatem conservat; opes, maxima reipublicæ adminicula, auget: dissidia non facile admittit: mala tandem innumerabilia, quæ ex intemperantia libidine atq; luxu in urbibus proveniunt, repellit. Porrò in civili societate alios pau-

pertate

pertate premi, alios divitiarum copia affluere videmus: atq; hinc inæqualitatẽ, ex hac verò oriri simultates, odia, seditiones, non rarò etiam reipubl. interitum. Hanc ergo dissimilitudinem optimâ quadam inter pauperes & divites excitata harmonia conciliabit hic noster, ut eos, quibus abundè sunt omnia, ad cõmunicationem quandam opum, & hos qui parum possunt divitijs, ad officiorum præstationem inducat: atq; ipsis ad hanc rem facem liberalitatis & beneficentiæ præferat. Plurimum autem ad salutem urbis hæc, quæ dixi, posse, experientia testatur. Parit enim hæc communicatio in civitatibus concordiam, & amicitiam. At amicos Micipsa regni præsidia dicere est solitus: & Alexander Magnus, interrogatus à quopiam, ubi thesauros haberet suos, in his respondit: amicos ostendens. Possem plura in eam sententiam adducere: nisi his confiderem probatum, ex peregrinationibus liberalitatem, ex liberalitate verò ad rempub: maximam promanare utilitatem. idemq; de Mansuetudine affirmamus; maximè eam prodesse rebusp., actum præcipuè, si in imperantibus inveniatur. siquidem si imperator cum Dario Xerxis patre, erga subditos: si cum Augusto Cæsare, erga delinquentes: si cum Philippo, erga aliorum Imperatorum, Regum, Principum, ac civitatum

legatos: si cum Scipione ac Julio Cæsare, erga hostes: si cum Alexandro magno erga victos: si porrò erga viros bonos, cum Sigismundo Imperatore; qui dicere solitus est, eos Reges beatos esse, qui ejectis ex aula sua hominibus superbis, viros, mansuetudinis & misericordiæ cultores in curia assessores, haberent: si inquam cum his viris sapientissimis, potentissimisq; fecerit Magistratus: subditorum amorem sibi acquiret: aliorum benevolentiam conciliabit; hostium sævitiam sedabit, victos ab omni metu, atq; rebellione liberabit, ad obsequiũ adiget: viros bonos, qui imperij fulcra sunt, sibi devinctos reddet: tranquillè ac beatè vivet. Sed justitia, ex quâ unica, de Ciceronis sententia, viri boni appellantur, mansuetudini rectè jungitur. Mansuetudo enim, nisi justitiâ temperetur, nimiam subditis concedit licentiam, & ad omnis genebis scelera ac flagitia aperit fenestram: ita ut vel hic maximè verum appareat, quod Plato dicere solitus est, omnem eam virtutem, quæ à justitia remota est, virtutem haud esse dicendam. Justitia ergò magni facienda: cujus quidem cultores hic noster in suam recipiet solos, voletq; esse in illa republ. omnes: cum tot sciat urbi illi, in quâ justitia floret ac colitur, esse adjunctas, præsidij causâ, legiones, quot in ea sunt cives boni & justi. Hæc verò omnia Noster pietate &

pruden-

prudentia administrabit, reget, atq; moderabitur. Quare cum tot & tanta bona ex virtutum exercitio ad rempublicam redundent: virtutis exercitium, ex homine virtute prædito promanet: homo verò peregrinando virtute instruatur: quis nostrum erit, Auditores, qui ea omnia, quæ ex Pietate, quæ ex fortitudine, quæ ex temperantia, liberalitate, mansuetudine, justitia, ipsa tandem prudentia proveniunt bona, peregrinationibus quasi nutriri atq; augeri negaret? quis non potius illico rebus suis convasatis, sarcinisq; compositis, quâ proxima ad exteras & longinquas nationes via patet, prorueret, atq; ita iter peregrinationis longè utilissimum susciperet? præsertim cum & suavitas ejus tanta sit, ut, similis vix ulla alia in re reperiri possit. Si enim rectè Aristoteles dixit, nihil esse in intellectu, quod non prius in sensu extiterit: inter sensus verò principem locum visus teneat, majoremq; quàm quidem alij sensus voluptatem excitet: quis negabit, Auditores, Peregrinationes in quibus maximè visus regnat, mirabilem adferre oblectationem? insignem quandam historiam aut fabulam elegantem narrare audientes, voluptate perfundimur: at hæc voluptas tanta non est, ut cum ea, quæ ex visu percipitur, æquiparari possit: quippe cum juxta Poëtam

Segnius irritent animos demissa per aurem:
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus.

Jam in peregrinatione multa sese insignia loca videnda offerunt, multæ regiones, amœnæ splendidæq; multæ urbes perlustrandæ veniunt: quæ omnia quàm mirificè hominem oblectent, quilibet sanus judicare facilè poterit. Ac profectò, si picturam elegantem & artificiosè expolitam, vel Apellis vel Xeusidis, aspicientes, suavitate nos perfundi sentimus; quantò magis omnipotentis illius pictoris Dei optimi maximi pictura, hoc est loca & res, quæ illius beneficio in mundo variæ reperiuntur, mentem nostram oblectabunt? quippe cum in illorum pictura, figura solum: in hujus, res ipsæ considerentur. Ac, si unius imperij Germanici majestatem, in quo imperio sunt septem Electores, totidem Archiepiscopi, quadraginta octo Episcopi, Duces triginta quatuor; Comites, Barones, Nobiles ferè sine numero; Civitates liberæ, quæ se ipsas regunt, octuaginta octo; circuli decem, Franconiæ, Bavariæ, Austriæ, Sueviæ, Rheni, Germaniæ inferioris, Westphaliæ, Saxoniæ superioris, Saxoniæ inferioris, Burgundiæ: & in eo circiter centum hominum myriades: si hujus, inquã, unius imperij statũ, majestatem splendorem ac gubernationem, tantum auditu cognovisse volupe est: quantum existimabimus suavitatis existere ex peregrinatione, cujus beneficio, tum hoc ipsum impe-

imperium ejusq; partes, tum etiam cætera ferè omnia orbis loca ipsis oculis perlustrare, multas Ducum arces atq; palatia, urbium splendidarum ornamenta, infinita rerum insignium monumenta videre licet. Sed omissa Germania, omissis arcibus atq; palatijs tum ipsius optimi maximi Imperatoris, quæ in Ungaria, Bohemia, Silesia, Suevia & Austria habet quam plurima eaq; amplissima æquè ac splendida. tum Electorum, Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumq; Principum aulis ferè infinitis: omissis Academijs florentissimis, omissis civitatibus, tum Imperialibus ac liberis, tum cæteris quæ in hoc imperio sunt, amplis & splendidis: omissis munitionibus, auditorijs, templis, theatris, curijs, armamentarijs, bibliothecis, cæterisq; ornamentis ac monumentis amplissimis: ad cætera orbis loca, regiones ac urbes dilabor. Romam itaq;, quæ merito caput orbis antiquitus dicebatur, inspicientes, quis nostrum erit, Auditores, qui hujus splendore, rerum in ea insignium decore, non commoveretur? quis, si videat locum amœnissimum in quo sita est: consideret Romæ antiquæ ruinas, templorum monumentorum, & ædificiorum quondam amplissimorum rudera: in admirationem non raperetur? quis si lustret elegantiam portarum, quarum numerantur novendecim; pontium, quorum octo;

montium quorum septem: si cernat Capitolium inter montes præcipuum, in quo est Lupa Romulum ac Remum lactantis signum; Titi Vespasiani arcus marmoreus, victis Hierosolymis in honorem ejus exstructus; Alexandri Severi Imperatoris, qui apud Moguntiam perijt, monumentum, in quo sunt statuæ, columnæ, simulachra, templa, multæ tandem aliæ res notatu dignæ: quis, inquam, hæc si lustret, voluptate non afficeretur? quis si videat insignes aut magnificos aquæ ductus, à Cajo Julio Cæsare primum inchoatos, à Claudio verò peractos: intueatur portam sanctam, quæ non nisi tempore jubilæi aperitur: contempletur Pontificis palatium magnificentissimum: Bibliothecam Vaticanam insignem, libris manu scriptis uberrimè refertam: domum ac turrem Neronis; ex qua, jussu suo incensam, urbem septem dierum spatio cum voluptate spectavit: quis, si cernit Trojani Imperatoris insignem atq; spectabili crassitie columnam, consideret curiam & forum, videat templa Sanctorum celeberrima: videat templum Marianum: quis, ut uno dicam verbo, hæc omnia si videat, sese beatum non prædicaret? Quid dicam de Venetorum urbe? habet ea armarium longè uberrimum, ubi maximus apparatus armorum rerumq; ad expeditiones maritimas pertinentium asservatur, & cotidie

tidie adaugetur: classem habet potentissimam triremibus, celocibus ac alijs navibus refertam: Parochias habet septuaginta duas; Monasteria septuaginta quatuor; pontes partim publicos publico usui, partim privatos ædibus singulorum, quas aqua alluit, servientes, quadringentos: templa propè infinita, duo tamen quorum alterum Divo Marco, alterum Petro dicatum præcipua: ex quibus illud splendidissimum est habens columnas pretioso ex marmore factas viginti sex: habens aram pulcerrimam, habens thesaurum verè thesaurum: in quo visuntur duodecim coronæ aureæ, æstimationis infinitæ: duodecim thoraces pulcerrimi, ex obryzo auro facti: duo cornua Monocerotis: mitra Ducis pretiosissima, in cujus summitate est carbunculus infiniti valoris. In templo verò Divi Petri videre licet ejusdem Apostoli cathedram; Justiniani monumentum marmoreum, & sepulturas Ducum aliquot Venetorum splendidissimas. Jam de reliquis Italiæ partibus dicendum esset: de Patavio, urbe celeberrima, Academiâ florentissima; describendusq; esset ipsius Academiæ status, describenda collegia, enarrandum palatium Episcopi, ubi Doctores creantur: explicandus hortus Medicorum: oculis subijcienda curia, ubi judicia exercentur, antiquitate & structura antiquissima, monasterium reditibus opu-

opulentissimum, tandem templa & aliæ res notatu quæ sunt dignæ. Dicendum porrò esset de Bononia, in qua conspiciuntur Academiæ auditoria numero triginta; Pontificij legati palatium longe celeberrimum; hortus Poëtarum amœnissimus, fructibus, arboribus, fontibus, aquæ ductibus ornatus; Bibliotheca instructissima; templum in quo sepulchrum Christi, itemq; omnes loci Hierosolymitani, quorum mentio fit in historia passionis, repræsentantur. Dicendum itidem esset de Pisis, de Sena, de Neapoli, Spoleto, Cesena, Verona, Mantua, Mediolano, Cremona, Genua, & alijs urbibus, civitatibus ac locis Italiæ pulcerrimis. Sed tempus nos ad alia vocat. Galliam ergo si inspicimus: quis erit qui hujus regionis amœnitate, splendore ac pulchritudine majorem in modum non oblectetur? quis vel Lutetiarum, Galliarum amplissimæ Urbis, quingentis plateis constantis, inspectione, maxima voluptate non afficeretur? quis Hispaniæ? quis Angliæ, & in ea Lugduni, Oxoniæ, Cantabrigiæ, & aliorum in ea urbium & locorum insignium contemplatione non commoveretur? Quem Belgij, & in eo, Bruxellæ, Antvverpiæ, Leidæ, Groningæ, Leodij, Armenij, Amsterodamæ, & aliarum, aspectus & consideratio, maxima suavitate non perfunderet? Quis Daniæ, Norvvegiæ, Sueciæ,

Sueciæ, quis florentissimi ac potentissimi Regni Sarmatici, quis ejus status ac magnificentiæ, tum ipsius Regiæ majestatis tum senatus & ordinum Archiepiscoporum, Episcoporum, Palatinorum, Castellaneorum, & cæterorum: quis si porrò progredi velit, Moscoviæ, quis Schytiæ, Turciæ, Æthiopiæ, Asiæ, quis novi orbis perlustratione in admirationem non raperetur? quis hisce omnibus probè inspectis atq; perceptis optimam illam ac unicè exoptandam felicitatis istius voluptatem non persentisceret? quis hisce visis omnibus, nisi mentem habeat stupidam, summam è peregrinatione voluptatem provenire negaret? Quod si hæc omnia silentio præterirem, supereſſent tamen quàm plurima, quæ suavitatem peregrinationum testatò comprobarent: quæ singula ne exequamur, singulorum loco, septem mundi quæ vocant miracula contemplabimur. Primum & antiquissimum fuit Babylonia à Semiramide exstructa: in qua Hortus fuit pensilis, tantæ magnitudinis, ut singula latera, quatuor jugeribus extenderentur. ejus magnitudinem monstrat Herodotus, cum affirmat, capta aliquando ab hostibus urbe, eos, qui ultimam partem incoluêre, tertio demum die id persensisse. Ædificia omnia fuere lapidea: templa habuit splendidissima peculiari ornatu cohonestata: turres quàm plurimas, inter quas, quæ in templo Jovis Beli

posita, tantæ erat altitudinis, ut juxta Herodotum unius miliarij longitudinem excederet. Alterum orbis terræ celebratum miraculum fuit Ephesinum Dianæ templum, à tota Asia, ut Plinius tradit, ducentis viginti annis exstructum; tanta elegantia tanto splendore, ut etiam semimortuos præstantia ac pulchritudine sua revocare potuisset: ut haud mirum sit, quod in sacra historia proditum est, Ephesi contra Paulum Apostolum, Magna est Diana nostra, vociferatum esse: quippe cum tanto habitaculo, non nisi divinum numen inesse miselli isti crediderint. Tertium opus mirandum sunt pyramides Ægyptiæ, tum ingenti magnitudine, tum eximia altitudine, ac pulchritudine, opera omnia facilè superantes: ex quibus maxima fuit mole quadrata, tantæ capacitatis, ut singulæ ejus frontes octogenum fuerint jugerum: quæ vigesimo demum anno absoluta est, licet quotannis trecenta sexaginta millia hominum in ea extruenda laborarent. Quartum miraculum fuit Jovis Olympij templum, miro artificio à Phidia artifice incomparabili, non sine maximis sumtibus maximoq; labore, exstructum. Sequitur Mausoli sepulchrum ab Artemisia Cariæ Regina, viro defuncto erectum: opus tantæ magnificentiæ, tantæ magnitudinis, ac pulchritudinis, ut nullum, vel imperatorum vel Regum ac principum quod cum eo conferri possit, sepulchrum hacte-

hactenus inventum sit: sed potius & olim & nunc ab hoc propter ejus excellentiam Mausolea appellentur. Quid dicam de obelisco, qui ex Armeniæ montibus excisus, ingenti cura Babyloniam à Semiramide adductus, & in via nobilissima collocatus aspicientibus jucundissimam speciem præbuit? Ultimum tandem mirificum opus fuit Cyri magnifica domus, maxima cum cura, infinitis sumtibus, & gravissimo labore, perfecta. Atq; hæc sunt illa; nisi fortè quispiam templum Hierosolymitanum his annumeret; septem mundi miracula: hæc perfectissima quæ unquam exstiterunt opera. Recitavi quædam admirabilia. Vos jam considerate, Auditores, num quispiam reperiri possit, qui ea loca, in quibus vel hæc ipsa, vel eorum rudera conspiciuntur, aut si eam terram, quam pedibus Servator noster calcavit, perlustret, præ gaudio non exultaret, ac beatum sese prædicaret? O præclarum & longè exoptandum peregrinationis bonum! ô felices, qui ejus utilitatem percipiunt, suavitatem sentiunt, studium sibi commendatum habent! Valeant jam, qui peregrinationes contemtim habent! valeant, qui eas damnant: valeant, qui eas penitus abijciunt! Quid enim est? Exilium esse dicunt peregrinationes. sint sanè exilium: exulemus quando peregrinamur: dummodo ad nostros, ornatiores, ad reipublicæ munera suscipienda aptiores redeamus. at

monstrant molestias? & hoc fateor: non caret molestijs peregrinatio. sed si omne, quod molestiam parit, repudiandum sit: neq; publica neq; privata vita suscipienda fuerit: sed mundus potius vitandus, deserendusq;. In foro namq; sunt lites, in ædibus curæ, ruri labores. juventus stolida est, senectus infirma. nuptus es? non eris sine sollicitudine. uxorem fugis? molestijs tamen nunquam carebis. at ex peregrinatione multi redeunt nequiores? fateor & hoc, esse quosdam ejus malitiæ, qui ne quidem severissima disciplina, nedum peregrinatione ad viam rectam adduci possint. etenim sincerum nisi vas quodcunq; infundis acescit. Est & de his verum, quod dicitur:

Parisios ito: dum si quis transmittat asellum:
Qui fuit hîc asinus, non ibi fiet equus.

Sed hasce ego peregrinationes minimè approbo: imò execror & damno: eam autem laudo, quæ bono fine rectè & sapienter suscepta hominem meliorem, & ad vitam tum privatam, tum publicam rectè agendam aptiorem reddit: hanc, inquam, peregrinationem approbo, hanc laudo, hanc, ab omnibus ut suscipiatur, dignissimam judico: atq; hîc finio. DIXI.

ORAT. XVII. De Exactionibus.

Pronunciata est ab Henrico Sibrandt. a. d. 3. Oct. Anno 1618.

REx ille Salomon, qui sapientiâ suâ omnes superavit sapientes, in proverbijs suis inquit: Leo rugiens & ursus esuriens Princeps impius super populum pauperem. Quo ipso non obscurè arguere voluit eos Magistratus, qui censu exigendo subditos suos excarnificant, eisq; summa cum injuria, quod

quod illi durissimis modis sibi comparserant, eripiunt: quales & seculis superioribus omnibus, & nostro hoc exulceratissimo invenias plures, qui subditis sint & fuerint leones rugientes & ursi esurientes: qui immemores symboli Tiberiani pecunias à subditis ita exigunt, non ut sors, unde possent vires resumere, relinquatur, sed ut pellis unà cum carne detrahatur. Licet autem nonnulli eorum, quibus DEUS arbitrium dedit in homines, de facto sint leones rugientes, & ursi esurientes: tales tamen non esse debere, dabo operam ut evincam. Vos ut me benignè audiatis, efflictim rogo. Officium namq; regentis est, non tantùm Dei gloriam & honorem quærere, sed etiam salutem hominum eorumq; bona & fortunas, quantum quidem in ipsis est, promovere, miserisq; prodesse, & supplices fido lare protegere. Quam in rem Anatotides Propheta sic alicubi inquit: Audi verbum Domini rex Juda, qui sedes super solium David, tu & servi tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas istas: Hæc dicit dominus, facite judicium & justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & advenam & pupillum, & viduam nolite deprædari. Vocem, me Christe, omnipotentis Dei gravissimam! quâ quid præcipiatur, qui non videt, eum quercubus & truncis annumerandum puto. Vult Deus fieri justitiam: Unde ergo istæ iniquæ Magistratuum exactiones? aut quid super istis Domino respondebunt? quo Demosthene eas defendent? Non vult, ut prædæ loco habeant advenam, & pupillum, & viduam: at quid hodie frequentius, quid usitatius, quàm non solùm in alios, sed inprimis in advenas tributis nimijs exigendis sævire? quare nec tam quicquam est, in quo illi suum officium transgrediantur ac violent, atq; hæ subditorum atq; incolarum excoriationes. Est enim, quod & Cicero affirmat, boni magistratus, commoda civium defendere, non divellere, & omnes æquitate eâdem continere: quod non solum sacra dicta, sed etiam alia

comprobant. Artaxerxes solitus fuit dicere, regalius esse addere, quàm adimere. Sensit rex optimus, esse principibus in repub. viris dignum opus, si quibus imperant, horum bona augeant, non minuant. Et Ptolemæus: regalius esse, dixit, ditare, quàm divitem esse. Quod si quem exempla juvent, is in Josuam, Samuelem, Davidem, aliosq; bonos principes (quorum quidem tantam aliquis dixit esse paucitatem, ut in uno annulo sculpi possint) sed tamen bonos principes inspiciat, & ex ijs discat, quàm ex tripode dixerit Tiberius: esse boni pastoris, tondere pecus non deglubere. Atq; ut hunc ipsum, de quo jam dixi, taceam: ut illum prætermittam, qui vocatus est amor orbis: de nostris Illustrissimis, cum alijs, quorum laus est in benedictione, tum de celsissimis principibus, qui hodiè rempub. administrant, Domino ADOLPHO FRIDERICO, & Domino JOANNE ALBERTO, fratribus germanis, Ducibus Megapolitanis, Dominis & Evergetis nostris clementissimis, verè affirmare possumus, eos benignissimâ patrum patriæ administratioue suos regere, nulliq; civium imperandis exactionibus graves aut molestos esse. O omni ævo deprædicandam tantorum principum bonitatem! Est enim, auditores, princeps anima reipub.: principis verò corpus est respub.: quare rempublicam non minus atq; suum corpus fovere debet princeps. Quod si, exemplo equitis cujusdam Romani, saburræ suæ Princeps aut alius Magistratus consuluerit, neglexerit autem reipublicæ corpus, aut illud servis curandum tradiderit: non solùm, ut eques ille, strigosum equum, sed & macilentos habebit subditos, exhaustamq; rempublicam. Quî enim arbores frugiferæ, quarum radices agricolæ evulserunt, ullos poterunt amplius producere fructus? Ita crescere & augeri non poterunt populi, quorum facultates Magistratus funditùs abstulerunt. Et certè, ut iterum Tiberij imperatoris lemmate utar, bonos pastores ita tondere videmus oviculas suas, ut lana tonsis

posit

possit renasci; non verò deglubere, ut omninò facultas renascendi prohibeatur. qui autem sunt, qui deglubunt: hi omnem spem futuri commodi sibi ipsis adimunt: sic neq; subditi possunt crescere, si magistratus omninò illos exhauriunt, & nullam facultatem sui recolligendi relinquunt, & tandem sibi quoq; spem futuri commodi adimunt, & ita cum illis pereunt. Quando enim vis ipsa est erepta subditis: fit, ut, nec ea, quæ Cæsaris sunt, Cæsari dare possint, & ipsi qui præsunt cogantur cum republica egere: quam egestatem contemtus, seditiones, multaq; alia incommoda, interdum etiam certissima pernicies sequi solet. ut enim in corpore humano, liene supra modum excrescente, reliqua membra flaccescunt, donec homo intereat: sic eam rempublicam, cujus nimijs cives exactionibus, tanquam harpyiarum immissis unguis, vellicantur, tabescere tandem & deficere oportet. Laudandus itaq; Alexander Magnus, qui, cum quidam ex numero amicorum, qui summè benevoli videbantur, ei dicerent; civitates subjectas majora tributa pendere posse; respondit: κηπωρὸν μισῶ, τὸν ἐκ ριζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα: Olitorem odi, qui radicitus exscindit herbas, ac arbores ab imâ stirpe revellit. Quo tyrannidis arguit eos, qui longè plus vectigalium, quàm subditorum fortunæ queant ferre, solent à civibus inclementer extorquere: non absimiles ijs, qui omnes unà pullos ex nido auferunt, nulla ave matre relictâ. Quam impiam rapiendi cupiditatem tandem ipse Deus punit: quod David optimè innuit Psalmo 82. Ubi ait: ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Deos igitur illos esse utraq; manu largitur, sed quia tyrannidem exercuerunt, illos esse morituros ut homines. Exemplum habemus in Pharaone cibum Israëlitis alienigenis & advenis denegante, & omnia illorum bona auferente, annon ille pœnas dedit suæ tyrannidi debitas? Annon Deus ipse decem plagas immisit? quæ his continentur versiculis:

Fit

Fit cruor ex undis, conspurcant omnia ranæ,
Dat pulvis cynifes, postea musca venit;
Dein pestis, post ulcera, grando, locusta, tenebræ:
Tandem prototocos ultima plaga necat.

Imò neq; hæ plagæ tam dirum populorum flagellatorem coërcere potuerunt, sed tandem illos persequens, ipse cum omni exercitu in mari rubro suffocatur. Hæc justa pœna fuit illius tyrannidis. Taceo Roboamum, qui gentem Israeliticam immaniter pressit, adeò, ut etiam hæc in verba prorumpens diceret: pater meus imposuit vobis grave jugum, & ego imponam majus pondus: pater castigavit vos flagellis, & ego cædam vos scorpionibus. Ast Sesac illum ad imas calamitates redegit, destruendo civitates ejus munitas. Silentio involvo Achabum: qui ita tyrannidem in subditum suum Naboth, suasu & hortatu uxoris, exercuit, ut is lapidea segete obrutus dulcem hanc vitam relinquere coactus sit. Sed ille increpatus est ab Elia sævissimis & mortem spirantibus verbis. pœnam autem dignam dedisse Jezabelem legimus: ex fenestra enim in agrum projecta à canibus miserrimè est dilacerata; id quod futurum Elias eidem prædixerat. Quia ergo hæc omnia vera esse videmus, ut nemo ne quidem contrà hiscere audeat: caveant magistratus, ne subditos, advenasq; apud se habitantes, deglubant, omnemq; eis vim & facultatem crescendi detrahant: sed ita pecunias à subditis, tenuioribus inprimis, exigant, ut & his aliquid supersit, ne tandem Domini unâ cum subditis egeant. Tu Deus rege quorumlibet animos & corda, ut omnia ad tui nominis gloriam, & æquè eorum, qui imperant, ac qui parent salutem dirigantur: Tu da, ut hæc nostra respublica opibus firma, copijs locuples, gloriâ ampla, virtute honesta, omni deniq; rerum abundantia, sub patrocinio tum tuo, tum Illustrissimorum nostrorum Principum sit diu longeq; felix ac beata.

(o)

INDEX RERUM, QUÆ IN HIS ORATIONIBUS CONTINENTUR.

Abbatis cujusdam tria bona pag. 214.
Abraham in Ægypto studia literarum excitavit. p. 20.
Abusus non tollit substantiam rei 226. 227.
Academia prima in urbe Dabiritide. 20.
Academiarũ servatores manet laus æterna. 21. 22.
Academiæ quibus artibus reddantur invisæ. 22. 23.
Academiæ sunt illis apud quos sunt & honori & commodo. 24. 25.
Academicæ vitæ amaritudines. 145.
Achillis clypeus. 136.
Adamus principium dedit omnibus regibus. 20.
Adagia, rotunda veterum dicta 40.
Advena prædæ loco non est habendus. 277.
Ædificij pulcritudo. 68.
Ætæ regis viridarum 54.
Ægyptij etiam brutis animalibus pro acceptis beneficijs gratiam reddiderunt 35.
Ægyptij Reges, nutritij literarum. 20.
Æschini Demosthenes non visus est Atttcè dicere. 251.
Æqualitatis causſæ 130.
Æqualitas inter homines similis harmoniæ. ib.
Æquitatis exempla ib. 131.
Agesilaus censuit plus esse reddendum quàm acceperis. 36.
Agesilai de civibus concordibus judicium. 133.
Agyrtæ suæ laudant olea. 91. 128.
Alexander invictus, victus vino. 198 idem, in amicis suos se habere thesauros, dixit. 265.
Alfonsi regis erga servatorem liberalitas 137.
Amaraci fabula. 41.
Amaror studiorum tandem dulcescit. 151.

Amici & adulatores differunt. 160.
Anima sapiens in sicco habitat. 193.
Animæ nobiliores gaudent motu. 254.
Anthyrius. 255.
Antiocheni canis in dominum fides. 32.
Ἀντιπαθέως exẽpla. 45.46.47.
Antonini Imp in præceptorem gratitudo. 137.
Arabia non fert sues. 48.
Aristidis de se & Themistocle vox. 136.
Aristoteles exagitavit Sophistas. 236.
Arius odio Episcopi Alexandri bellum in Ecclesia funestũ excitavit. 132.
Ars non habet osorem, nisi ignorantem. 59.
Artifices eò meliores, quo plura sciunt. 92.
Artiũ cognitio necessaria. 143.
Asinus ἄμουσος. 49.
Asinus translatus Parisios, non ibi fiet equus. 276.
Asini querela. 142.
Astronomiæ encomion. 16.
Athenæ Græcia Græciæ. 250.
Athenienses nullum ingratum admittebant ad honores. 36.
Avaritia quatuor invehitur rotis. 72.
Avaritia violat fidem. 65.
Avarus, fur 68.
Avarus noxium animal. 65.
Avarus nummum aureum, pluris facit in crumena, quàm dictum in sacra pagina. 73.
Avari anteponunt utile honesto. 75.
Avari beatitudo. 72.
Avari fatigationes. 75.
Avari sibi accelerant pœnas. 76.77.
Avari sordidè vivunt. 72.
Avaris sunt ungues aquilini. 75.

B.

Bardi in sua temeritate sibi vehementer placent. p.43.
Basiliscus conspectu galli exanimatur. 47.
Bellerophontis literæ 144.
Bellum cum grammaticis erratis. ib.
Benè dicere, est honestum 91.
Bestiarum in benefactores pietas. 31.32.
Bonum creatum est triplex. 5.

Bonum

Bonum tantò præclarius, quò plura secũ bona ducit 189.
Bonum tot dicitur modis, quot ens. 5.
Bona fortunæ cognationem habent cum Eleemosynis. 67.
Bonorum virorum facta sequi nos, decet. 256.
Bonis contra vitia semper militandum. 40.
Bove devorato in cauda deficere. 60.
Brassica moritur oppositæ origano. 48.
Brassicæ succus resistit ebrietati. ib.
Bruta sono tanquam indicio miscent inter se sermones. 94.
Bruta ignorant circumstantias. 16.
Brutam sub externa hominis forma multi habent. 51.

C.

Cæranus Parius è naufragio liberatus à Delphinis. p. 32.
Canũ fidelitatis exempla 31. 32
Carolus V. Imp. nunquam quicquam egit, nisi deliberatò. 79.
Χάρις χάριν τίκτει. 38.
Carolus M. primum in Germania collegium excitavit. 20.
Cataclysmus hujus nostri seculi. 39.
Caussa, cur Tyranni oderint literas. 19.
Christi Domini passio. 116.
Ciconia quotannis σωτήριον solvit. 30.
Ciconiæ plantani folia in nidos deportant. 47.
Ciconiarum Cyrbes. 31.
Ciconiarum ova sterilescunt contactu vespertilionũ. 47.
Civium dissimilitudo temperanda est harmonicè. 265.
Cives inter se abalienati, sunt tanquàm feræ in eodem loco conclusæ, quæ se mutuò invadunt conculcant, & evertunt. 137.
Civitas & Deo & hominib. detestanda est, in qua non rectè educatur juventus 135.
Clericus intemperans, Dæmonis pabulum. 192.
Cõcordia est sanctè colẽda. 126.
est favis dulcior. 128.
Concordia ex quatuor virtutibus exstruitur. 130.
Concordia trãquillat conscientiam. 129.

est omnis in repub. felicitatis conda proma. 132. 133.
Concordiæ & discordiæ effecta eleganti similitudine adumbrata. 136. 137.
Concordia post Deum debemus omnium rerum bonarum in genere humano conservationem. 131.
Concordiæ fructus non vident Furiæ Martiales. 134.
Concordibus docentibus Academiæ florent; labefactantur discordibus. 132.
Conscientia bona suavior est quibusvis regijs delicijs, utcunque divinis personent concentibus. 129.
Conscientiæ malæ angoribus exanimati. 113.
Confidētia magnum vitæ viaticum. 1.
Consilia benè cocta non sunt facilè mutanda. 158.
Consiliarij prudentes præsidium Principis. 154.
Consiliarij boni est, non grata, sed vera dicere. ib.
Consilijs bonis nihil tàm obest, quàm præcipitantia. 153.
Consuetudo naturam imitatur. 44.
Contentiunculæ in judicijs facilimè sopiri possunt, si vox justitiæ audiatur. 24.
Contemtu studiorum bona mens non debet frangi. 62.
Cupido auri excæcat homines. 75.
Cynaræ, Cypri Regis unguentarium. 41.

D.

Davidis in Jonathanis nepotes gratitudo. p. 35.
Decorum non minus in oratione, quàm in tota vita servandum. 233.
Dei bonitas cernitur in rebus creatis. 67.
Dei in homines beneficia. 33.
Deo quod placuit, nobis displicere non potest. 153.
Delicatuli. 149.
Delphino cum muræna dissidium est capitale. 46.
Depositiones Academicæ 146.
Dextra non tàm opus est sinistræ, quàm docentibus concordia. 132.
Dicendi materia. 28.
Difficultas. 84.
Dicta veterum interius sunt aspicienda. 41.
Difficilia, quæ pulcra. 150.

Discen-

Discentes imitabuntur jaculatores. 79.
Discentium labores asininis graviores. 142. 143.
Disciplinarum radices amaræ, fructus dulces. 140.
Discordia Ducum, exitiosa rebus p. p. 136.
Discordiæ mala. 135. 136.
Dives verè 9.
Divitiæ neminem faciunt bonum. 6.
Divitiæ sunt vel instrumenta vel ornamenta vitæ. 7.
Divitiæ veræ sunt quæ possidentur animo. 9.
Divites, qui juvant studia, sunt omni laude digni. 10.
Divitum filijs plerumq; inequitant Intemperantia & Ferocia. 147.
Doctus, nisi perspicuè dicat, vix nomen suum tuebitur. 95.
Doctorum πεωθοκαθεδρία sudes in oculis. 59.
Doctum & mutum esse, ἄτοπον. 94.
Draco ultius Domini mortẽ. 32.

E.

Ebrius spontaneo servit Dæmoni. p. 198.
Ecclesiæ doctrinam nemo publicè proponere poterit, nisi qui eam didicerit, & noverit ὀρθοτομῖαν. 12.
Ecclesiæ sine literarum cultura stare non possunt. 11.
Educato liberaliter etiam ipse mutus locus gratus est. 30.
Edita doctrinâ sapientum templa serena. 139.
Egestas, noverca studiosorum. 146.
Elementorum sororius inter se nexus. 125.
Elephas odit murem. 46.
pugnat pro nutritore suo. 32.
Elogij supra caput Christi affixi significatio. 12.
Eloquentia à vitijs est secernenda. 104.
Amaltheæ cornu. 235.
Eloquentia doctos efficit admirandos. 82. 83.
Eloquentia est benè sapienterq; dicendi facultas. 82.
Eloquentia & Sophistica differunt inter se magno intervallo. 88. 224. 225.
Eloquentia est lumen ingenij. 97.
est pacis comes, civitatis

bene constitutæ alumna & columna. 101.
Eloqaentia Deo grata & hominibus salutaria dicit & facit. 89. 235. 236.
Eloquentia in homine docto sed pravo, est venenum in poculo aureo. 226.
Eloquentia non est γοητεία. 96.
non novit fraudes 89. 233.
omnia ad publicum commodum refert, juxta leges honestas. 90.
Eloquentia, regina 99.
Eloquentia sine rebus nunquã est. 235.
est studium regium 80.
principibus ornamento. 219.
Eloquentiæ cultores, Mercurij filij. 90.
Eloquentiæ fructus. 98.
objectum. 96.
utilitas & necessitas
sese in omnes vitæ partes diffundens 99. 100. 101. 239. 240. 241. 242. & seqqq.
Eloquentiæ effectus illustrati exemplis. 102. 103.
Eloquentum exempla. 90. 100. 220.
Eloquentiæ vituperatio. 86. 87. 222. 223. 224. Defensio 224. 225. 226. 227.
Eloquentiam non tollit abusus. 91. 226.
Epaminondas, civibus ebrijs, vigilabat. 194.
Equus generosus non æstimatur ex aurato freno. 63.
Esaiæ Væ in ebrios. 198.
Ethica & scientiæ cæteræ, vinum. 55.
Euripides omnia in artibus incerta esse, dixit. 145.
Exactiones iniquæ nullo possunt Demosthene defendi. 277.
Exagitationes scurriles in multis ardorem discendi refrigerant. 57.
Ex studijs nomen & rem habentes studiorum fautores esse oportet. 61.

F.

Facultatis dicendi vireta. p. 104.
Fatua est & impia caussa odij nostri in alium, quæ ex antipathia sumitur. p. 49.
Fatuæ degenerum discipulorum censuræ de præceptorum suorum laboribus. 56.

Fecu-

Feculentæ animæ fundum petunt. 60.
Felix impius habet aurum in arca: pius infelix habet Deum in conscientia. 74.
Ferarum quoq; inter se est concordia. 127.
Ficta sapientia nihil stultius. 43.
Fides lupinæ & ovillæ in instrumentis Musicis nunquam concordant. 46.
Filius Dei peccata nostra fecit sua. 117.
Fœtidis plurimi homines delectantur. 42.
Fontem beneficentiæ exiccat ingratus. 38.
Fontes omnium bonorum artes. 57.
Fortes viri συναίνεσιν victoriarum. 263.
Fortuna ex humili progressi plerumq; fiunt deteriores. 178.
Fragrantia unguenta. Sus horret. 41.
Fructus sequentes compensant ante actos in studijs labores. 151.
Fructus studiorum dulces. 150. 151.
Furore diaboli semina malorum inter homines sparsa sunt. 44.

G.

Gemoniæ scalæ. p. 31.
Geometria. p. 17.
Germaniæ magnitudo & splendor. 268. 269.
Gladiator optimus omniū armorum usum novit. 92.
Gorgias cuilibet iuterrogandi sui copiam faciebat. 142.
Graculus graculum ad garriendum invitat. 50.
Graculus ineptè garrulus est, 50.
Graculus nullam audit Musicam. ib.
Græcia grata erga discipulos Hippocratis 37.
Grammatica omnium artium honestarum janua. 16.
Grammaticæ se subjecit olim Julius Cæsar, postea Monarcha. ib.
Gratianus Cæsar, 36.
Gratiarum una cur aversa. 36
Gratiarum templa apud Græcos in meditullio urbium locata. ib.
Gratitudo mater virtutū. 29. commendata à servatore. 30.

præ-

præcepta ab Apostolo. ib.
Gratitudo maximum hominis ornamentum. 38.
Gratitudinis causſæ & exempla. 35. 37.
Gratitudinis inter homines vinculum, Deus. 34.
Gratitudinis partes, Veritas & justicia. ib.
Gratitudinis quidam sensus inest belluis. 30.
Gubernationum exordia debent à singulari in subditos beneficio proficisci. 155. 158.
Gubernatorum splendida miseria. 161.

H.

Habendi sitis expleri non potest. p. 75.
Hæretici persecutores Ecclesiæ. 53.
Haud facilè emergunt pauperes. 147.
Hebrææ linguæ encomion. 15.
Herbarum magna cum partibus corporis humani cognatio. 126.
Hercules Gallicus, Orator. 246. 247.
Herculi citius clavam eripias, quam Avaro habendi cupiditatem. 64.
Herostratus inclarescendi materiam quæsiuit in incenso Dianæ templo. 24.
Hesiodi dictum de referenda gratia. 36.
Hippopotamus impietatis Symbolum. 31.
Hirci sanguine domatur Adamas. 47.
Homerus 139.
Homicida canis indicio patefactus. 32.
Homo divinitatem affectans incidit in laqueos Diaboli. 109. 110.
Homo homini Leo. 33.
Homo hominem sine causſa sæpe amat & odit. 45.
Homo lapsus vocatur in jus. 110 restituitur. 112
Homo, ἰμῶς. 126.
Homo sine virtute, nihil est. 80
Hominis dignitas ante lapsum. 108. 109.
Hominis motus. 252. 253.
Hominis præstantiæ detrahit demissio ad caduca fortunæ bona. 74.
Homini legitima præcipienti non adversamur. 128.

Homi-

Hominem sua appellatio ad amorem concordiæ invitare debet. 126.
Homines omnes sunt æquales, quâ ortu, quâ beneficia Dei in ipsos, qua positum corporis, quâ cõmunem aurã 126.127.
Homines passim de meo & tuo litigant. 24.
Homines veritate colenda Deo fiunt similes. 202.
Hominib. adipalis ingenij sordent optima. 42.
Honestis rebus detrahere, non est boni viri. 84.
Honor non veniens de amore, adulatio est. 89.
Hortus Medicorũ Patavij. 271.
Hortus Poëtarum Bononiæ 272
Humilitati multæ insunt virtutes. 182.

I.

Jactãtia, non est eloquẽtia. 97.
Ichneumõ, Crocodili hostis. 46.
Jesuitæ polcelli pueri. 117.
Improbis volupe est, alijs scabiem suam affricare. 50.
Ignorantia non excusat. 59.
Incredula turba fastidit bonos Ecclesiæ odores. 53.
Inculti obstrepunt studijs. 40.
Indicia amoris in literas. 58.
Inertiæ & ignorantiæ natura inimica. 219.
Ingenio sterili absq; ductu difficilis est omnis materia. 139.
Ingrati nulla Dei afficiuntur cura. 35.
Ingratitudo perdidit Judæos, afflixit alios. 38.
Ingressus ad Musarum adytæ difficilis. 14.
In malitia sua corrigenda homines supinè sunt ignavi. 43
Insipienter vult, qui sine difficultatibus expetit pulcra. 143
Intemperantia, ignis infernalis. 190.
Intẽperãtiæ mala. 189.198.199.
Invocatio Sanctorum ab asinis stabilita. 13.
Isocratis in Præceptorem pietas. 37.
Judicij præcipitãtia nocet. 140.
Judicij contra Protoplastas instituti forma. 110. 111. 112.
Julianus Apostata filios Christianorum scholis Rhetoricis interdixit. 19.
Jurisprudẽtia vera injicit frenos Tyrãnidi & barbariei. 17.
Juste vivens, & infelix non indignetur. 74.

L.

Leo ad galli cantum contremit. p. 47.
Leo Bizantinus obæsus. 138.
Leo ægrotans curatur carnibus simiarum. 46.
Leo homini homo. 33.
Linguarum utilitas. 14. 15.
Literæ & Tyrannis sunt incõpatibilia. 19.
Literæ, Oculi reip. ib. & p. 20.
Literæ ac linguæ sunt magnalium divinorum cophini. 13.
Literarum fructu nulla vitæ pars carere potest. 14.
Literis continẽtur omnia, quæ ad benè beatéq; vivendum pertinent. 19.
Locusta eodem cum Polypo inclusa reti, metu Polypi moritur. 47.
Logica imbuẽdi primò & alẽdi sũt animi, veluti lacte. 55.
Logicales tricæ. 145.
Lotho cedit Abraham, major minori. 130.
Lucanus avarum comparat cani, qui incumbit fœno. 74.
Lupus non est lupum. 125.
Lutetia Parisiorum. 272.
Lutherus Augiæ Romanensis stabulum purgavit. 54.
Luxuria ubi regnat, ibi vivitur miserrimè. 191. 192.

M.

Macedones actionem dederũt adversus ingratos. p. 36.
Magistratus est, patris instar ad utilitatem subditorum omnia referre. 18.
Magistratus nihil præclarius conservatione literarum potest in subditos conferre. ib.
Majestat. jura Regi tuẽda. 170
Maledicentiæ proprium est facere convitium bonis. 24.
Malitia incidenda, ne agat radices. 44.
Malorũ larga ubiq; messis. 45.
Mansuetudinis temperamentum esto justitia. 266.
Mansuetudinis Principum exempla. ib.
Martialis nõ amat Vlusiũ. 45
Martyrum supplicia nihil sunt ad lytron Filij Dei. 121.
Medela animorum necessariæ nostris temporibus. 39.
Medicinæ laus. 17.
Megapolitani Duces Adolph. Fridericus, & Jan-Albertus, fratres Germani, Academiæ Rostochiensis Patroni & Evergetæ. 27.

Mega-

Megapolitani Ducces nulli suorum civium in imperandis exactionibus graves. 278.
Mendacij panis suavis. 210.
Mendacij turpitudo. 209. 210. 211. 213.
Micipsa amicos dixit esse regni præsidia. 265.
Militandum. 148.
Ministri verbi Dei requisita. 52
Molestiæ ubiq; præsto sunt. 276
Morositas picearũ animarũ. 60
Multitia, obscura eloquẽtia 231
Multi ex rerum bonarum clade sibi nomen quærunt. 24.
Multi suos porrecta quasi manu ad nequitiæ scholam ducunt. 44.
Multitudo, magnus dementiæ patronus. 157.
ad ea perbitat vi, quæ non potest obtinere æquitate, sive vera sit, sive apparens. ib.
Mysorum adipale dicendi genus. 25.

N.

Nares quorũdam mucosi. p. 86.
Narrationes antiquorũ, sunt rerum gravissimarum invo. lucra. 55.
Nasutulis ne Mercurius quidem satis est. 251.
Natantibus flumine adverso labor maximus. 146.
Natura similis agro. 23.
Navis, in qua concordes sunt gubernator & nautæ, salvatur, salvatq; vectores; in qua sunt discordes, tantò majore est in periculo, quantò plura fuerint vela. 137.
Neglectus rerum bonarum est ab asinina stoliditate. 24.
Neq; regis incolumitas sine subditorum obedientia, neq; regni commoda sine vectigalibus salva esse possunt. 169.
Nestoris & Ulyssis conjunctio saluti fuit reip. 131.
Nihil cum amaricino sui. 39.
Nil profuisset creari, nisi redemtus essem. 107.
Nomen nescire, est, rem. 50.
Nullibi cum perfectis vivitur hominibus. 24.
Nullum officium retribuendæ gratiæ magis necessarium. 36.
Nullum venenatum animal est, ex quo non possit peti antipharmacum. 55.
Nutritoribus debentur ἀνλδωεα. O. 33.
Oblivionum terram terimus homines. p. 150

Obscuritatis in dicendo vitu-
peratio. 261.
Odij in literas causſæ, inſcitia,
invidia, ambitio & apoſtaſia 59
Odium Principibus in Acade-
mias inſuſurrantes. 23.
Odor vitæ ad vitam. 52.
Officiorum bonos nos eſſe ra-
tiocinatores oportet, 29.
Officiorum communicatione
continetur ſocietas civilis.
37. 265.
Oleum precioſum, mutuus in-
ter Principem & ſubditos
amor. 155. 156.
Oletum quandoq; præfertur
roſeto. 43.
Olitor radicitus evellens ole-
ra, habendus eſt odio. 279.
Oeconomica adminiſtratio
malè ſe habet, ubi marito
domi ſæviente uxor per pſeu-
dothyrum fugere cogitur. 138
Oratio, character animi. 93.
Oratio obſcura, nodus Gordij. ib
Oratio perſpicua eſt proprium
hominis axioma. 95. 232.
Oratione materiam rectè pin-
gere, eſt ſummum pruden-
tiæ opus. 28.
Orator in culina non dicet
Crocodyli lacrumas. 94.
Orator obſcure loquens eſt mu
ta in ſcenis perſona, quæ ge-
ſticulando movet theatro ri-
ſum. 94.
Orbilij. 141.
Ovina pellis ex morſu lupi fit
pediculoſa. 46.

P.

Pædagogorum quidam æqui-
ores pueris eſſe ſolẽt, ubi ipſis
heſperus aliquis, aut Veneris
forte ſidus exortũ fuit. p. 142.
Par eſt, omnia experiri, qui
res magnas cupiunt. 251.
Parentes liberis ſapientia &
eloquentia nihil majus opta-
re poſſunt. 4.
Pares cum paribus facilimè
congregantur. 126.
Paſſionis Chriſti magnitudo,
tùm quâ cauſſas, p. 108. 109.
110. 111. 112. tum quâ ſubje-
ctum. p. 112. tùm quâ alieni
reatus atrocitatem. p. 112.
113. tum quâ modum. 114.
115. tum quâ prodigia. 118.
119. tũ quâ effectus. p. 119. 120
Patris familias περιπλόμενα. 8
Paucis volentibus imperare
beatius, quàm multis invi-
tis. 173.
Peccatum eſt, non agnoſcere,
dari

dari à Deo frumentum & mustum. 3.
Peccata attrahunt iram Dei, ceu Cæcias nubes. 117.
Pecuniæ usus. 67.
Pecuniarum admirator nihil admittit præclarum. 73.
Per angusta ad augusta. 152.
Peregrinantes in Africa gallos secum ducunt. 47.
Peregrinationis leges. 261.
Peregrinandi studium commendatur. 255. 256 257. 258. 259.
Persæ in ingratos severè animadvertebant. p. 35.
Persæ veritatis amorem & cultum suis per omnes vitæ gradus inculcabant. 214.
Philippus Macedo captivum, à quo liberè admonitus fuerat, dimisit. 37.
Philosophi nonnulli pueriliter admodum de rebus divinis rhetoricantur. 15.
Physicarum quarundam rerum mirifica est inter se conjunctio. 125.
Politicus pictorem referre debet. 237.
Politici est, nec se efferre, nec deprimere. 232
Politici requisita. 229. 230.
Pomponius Atticus nec mendacium dixit, nec pati potuit. 214.
Pontifex maximus, sacerrimus pater. 54.
Populi duræ petitiones mollissimo sunt tractandæ brachio. 160.
Porci, scholarum vastatores. 56. 57. 58. 59. 60.
Porci tubarum clangore ad pugnam haud animãtur. 50.
Porcorum grunnitum non fert Elephas. 57.
Primæ pueritiæ amarores. 141. 142. 143. 144.
Princeps in tempestatibus reip. prudentem nautam debet imitari. 158.
Princeps ambitione, cæcoq; sui amore agitatus, modum in nulla re tenet. 159.
Princeps, anima reip. 278.
Princeps impius, leo rugiens. 276.
Princeps se curans, relicta servis administratione, macilẽtos habebit subditos. 278.
Princeps temperans, aptus est gubernationi, nec facilè patet insidijs. 193.

Principi non tàm cibo opus est, quàm prudentia. 159.
Principes decet, invigilare gloriæ. 158.
Principum cætera omnia, si destituta sint sapientiâ, jacent sine fructu. 159.
Principum multorum nomina solis Genealogicis nota sùt 21
Principum quæ debeat esse sapientia. 149.
Principũ bonorũ paucitas. 278
Principibus moderatè agentibus via omnis est facilior. 158
Principatuum retinendorum tria adminicula. 155.
Proci Homerici spreta domina ancillas sectabantur. 200.
Prudentiæ paret robur corporis. 4.
Pulli quidam immaturo nimis partu ad ordinem Ecclesiasticum excluſi. 100.
Puritatis neglectionem sequitur barbaries; barbariem corruptio doctrinæ. 100.
Pyrenéus, Musas infestans, tragicè perijt. 26.
Pyreneorum nomen exosum literis. Q. ib.
Quercus & olea discordãt. 47
Qui spinas habet in pedibus, ubiq; spinas calcat. 139.
Quibus literarum mercatus præ foribus est, feliciores sunt alijs. 25.
Quibus panis in ore nascitur, magis suarum rerum sunt prodigi. 147.
Quid in scholis regijs docendum & discendum sit. 25.
Quidam studiosorum nomen sibi sumentes tantum temporis tribuunt studijs, quantum sus sibi sumit in cœlo contemplando. 56.
Quisq; in sua statione desidiam fugiat.
Quod caret alterna requie, durabile non est. 143.
Quod nunc degitur ævi, vitijs est fœcundum. 39.

R.

Radix malorum avaritia. p. 71.
Ratio, beneficia domina, in divinis mysterijs multos suo subjugat imperio. 53.
Rationis indicium in nobis est sermo. 94.
Reatus sordes multi incrustant. 43.
Redemtionis beneficium alia Dei in nos promerita longè superat. 106.107.
Regalius est addere, quàm adimere; ditare, quàm divitem esse. 278.
Regentis officium. 277.
Regentũ quorundã ungulæ harpyiarũ. 279
Regis initiandi tempore, citius opinione nasci possunt seditiones. 165.
Regium est, Academiam in suo patrocinio habere. 26.
Regum jura apud omnes honestas gentes sancta. 168.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0306
DFG

Regum officium est, conservare omnes reipubl. partes. 18.
Regum sceptrum hieroglyphicum. 31.
Reip. haud minima pars sunt ij, qui fideliter & docent & discunt literas. 18.
Reip. vulnera, quæ vix coaluerunt, non sunt aperienda. 157.
Rerum utilium inutilis est verbosa commendatio. 228.
Res humanæ, fugitivæ. 180.
Responsione molesta excitatur ira. 161.
Respub. corpus Principis. 278.
Res quæq; duas habet ansulas. 160.
Res quæq; ex primo suo ortu æstimanda est. 175.
Rex sine majestate idem est, quod mundus sine Sole. 170.
Roma, Babylon mysticæ. 54.
Romæ aliquot insigniora loca. 269. 270.
Romanenses purgatoriani corvi, asini, muli. 54.
Romanorum adolescentum in Eloquentiæ stadio studium. 250.
Rostochienses Academiæ primi conditores, ejusdemq; conservatores. 21. 22.

S.

Sæpè illis, qui bene longum tempus contriverunt in studijs, fit, ut devorato bove in cauda deficiant. p. 60.
Salis inopes non percipiunt egregia. p. 50.
Sapientiam princeps opponet multitudinis æstui. 160.
Scarabæus est ex stercore, & habitat in stercore. 51.
Scarabæi rosarum odore enecantur. 51.
Sciluri jacula conferta frangi non potuerunt: separata, facilimè. 133.
Scipionem Afr: magis clamaverunt doctorũ virorũ scripta, quàm res ab eo gestæ. 25
Scholæ regiæ hospitibus suis conciliant celebritatem. 25.
Scholæ sunt virtutum amœnissimis, tribus fontibus, lacte, vino & oleo manantibus, irrigatum. 55. 56.
Scholis infesti sunt porci metaphorici. 56.
Scribere de illis, qui possunt proscribere, periculosum est. 11.
Scrofa fastidivit convivium, in quo non fuerunt siliquæ. 58.
Scrofis similes sunt literarum ἄγαυστοι, qui eas contemnunt. ib.
Seditione in castris exorta, tantò est periculum majus, quantò milites sunt fortiores, equiq; velociores. 137.
Senator: dissẽsio pernicioßissima est urbi. 136
Septem mundi miracula. 273. 274. 275.
Serpẽs nisi devorato serpẽte nõ fit Draco. 24.
Simonides habuit duas arcas. 10.
Simulatio, res execranda. 165.
Sine subjecta materia dicere, est desiper. 97
Socrates malè precatus est ei, qui primus honestatem distraxit ab utilitate. 5.
Solon avaritiam dixit metropolin omniũ vitiorum. 71.
Sophistica est instar Camelopardalis. 88.
Sophisticæ soboles sunt calumniatores & Sycophantæ. ib.
Sophista relicto orationis corpore inhærent περιφήκαις. 97.
sunt frandulenti: similes venaticis canibus 89. empedæ. 90.
Stolidi applaudunt falsis. 43.
Studia in prosperis sunt ornamentum; in adversis perfugium. 14.
Studia literariũ in Americã penetrarũt 18
Studiorum fructus. 150. 151.
Studiorum contemtores haud sunt absimiles scarabæis. 51.
Studiosus, non faciens officium, est sus ad Mathesin. 56.
Studiosi initiandi coguntur illa pati, quæ nemo

nemo Cynicorum potuisset. 145.
Studiosorum degeneres hoc agunt, ut nomẽ suũ potando, malè agẽdo tueãtur. 149
Studiosis verè, vita Academica militia est. 148.
Stylus, saxum Sisyphi. 144.
Subaitorum in Principem amor, una est ex anchoris, in quibus fundata stat reipub. salus. 155.
Subditis expilatis corruit resp. 279.
Successus rerum prosper, malus timoris Dei custos. 178.
Successu fallente, non est contra Deum pugnandum. 173.
Superbia insolescit rebus alienis 179. vilibus. 181. exitiosis. 182. est maximarum calamitatum causa in Ecclesia, Academijs, in repub. suis denig cultoribus. 183. 184. 185.
Superbiæ nutrices tres. 177.
Superbi sine rivali se amant. 181.
ut ebrij sua aspiciunt geminata. 182.
Superiorũ corporũ mirificq consensus. 124
Sus delectatur fœtore. 42.
Sus mater maturè educit porcellos ad stercora. 44.
Sævitiam in tributis exigendis odit & punit Deus. 279. 280.

T.

Temerè aliquid probare nimis stultũ est 43
Temperantiæ commendatio. 188. & seqq.
Temperantes, licet infelicissimi, tamen ex sentẽtia Socratis semper sunt beati. 199.
Theologia dat balsamum. 56.
Theologiâ sublata infinitis essemus miserijs subjecti. 17.
Timandrides succensuit filio, rem familiarem, ipso absente, augenti. 67.
Titus Sabinus in Tiberim projectus. 31.
Turbulenta & immodesta ingenia deformant Academias. 26.
Turci Academias sustulerunt. 18.
Turcorum potentiæ ansam præbuit Romanorum Principum discordia. 136.
Tympana lupino obducta corio disrumpere feruntur alia, quæ ovillo obducta sunt, nudo saltem sonitu. 46.
Tyrannidis occultæ, artes. 163. 164.

V.

Vectigalia, nervi imperij. p. 166. 167.
Venetorum loca insigniora. 270. 271.
Verbi divini auditu & fructu privat homines Avaritia. 72.
Vermis pestifer sæpè sub specioso latet cortice. 63.
Veritas sibi omnia subjecta habet. 201.
Similis est verno tempori. 204. auro. 205.
nequit tegi vel opprimi. 204. 205. est filia Dei. 205. cœli civis. 206. auctorem habet S. Sanctum. 207.
Veritatis fructus incomparabiles. 213.
Veritatis labiũ firmũ erit in perpetuũ. 215
Vespertiliones formidant platanum. 47.
Viri etiam optimi inter se judicio contendunt de rebus dubijs. 34.
Viri etiam magni gloriæ causa passi sunt se decipi rebus vilissimis. 181.
Virtus immortale bonum. 174. nulli præclusa est. 152. studioso dat nomen. 174.
intaminatis fulget honoribus. 63.
Virtutis solius non est abusus. 226.
Virtutem excitat eloquentia. 80.
Visa plus movent, quàm audita. 268.
Vitæ exitus horrendi. 113.
Vites non sunt excidendæ: sed vinum temperandum est remedio Galenico. 91.
Vitia quædam ferimus. 65.
Vulgus delirat. 123. sæpe appetit nova. 170
Vulgi levitas, nacta idoneum Ducem, sumit vires. 157.
Vulgi natura. 171.
Vulgo ignobili nihil furiosius. 174.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729703177/phys_0312
DFG

ntum & mu- 3.
nt iram Dei, s. 117.
67.
nirator nihil rum. 73.
uguſta. 152.
Africa gal- t. 47.
eges. 261.
udium com- . 256 257.
s ſerverè a- t. p. 35.
norem & cul- es vitæ gra- 214.
captivum, monitus fue- 37.
li pueriliter bus divinis 15.
undam re- inter ſe con- 125.
m referre 237.
efferre, nec 232

Politici requiſita. 229. 230.
Pomponius Atticus nec mendacium dixit, nec pati potuit. 214.
Pontifex maximus, ſacerrimus pater. 54.
Populi duræ petitiones molliſſimo ſunt tractandæ brachio. 160.
Porci, ſcholarum vaſtatores. 56. 57. 58. 59. 60.
Porci tubarum clangore ad pugnam haud animãtur. 50.
Porcorum grunnitum non fert Elephas. 57.
Primæ pueritiæ amarores. 141. 142. 143. 144.
Princeps in tempeſtatibus reip. prudentem nautam debet imitari. 158.
Princeps ambitione, cæcoq; ſui amore agitatus, modum in nulla re tenet. 159.
Princeps, anima reip. 278.
Princeps impius, leo rugiens. 276.
Princeps ſe curans, relicta ſervis adminiſtratione, macilẽtos habebit ſubditos. 278.
Princeps temperans, aptus eſt gubernationi, nec facilè patet inſidijs. 193.